B

BRIGIDA
THAVMATVRGA,
SIVE
DISSERTATIO
PARTIM ENCOMIASTICA in laudem ipsius sanctæ; partim Archaïca ex sacra & antiqua historia Ecclesiastica; partim etiam parenætica ad alumnos Collegiorum.

IN QVA
Elucidatur prodigium ligni aridi reuirescentis ex attactu
B. BRIGIDÆ VIRGINIS.
Et symbolico sensu accommodatur ad antiquum quod intercesserat commercium inter Galliam & Hiberniam
In rebus sacris, litterarijs & ciuilibus.
Habita in Collegio Hibernorum Parisiensi Kalendis Februarij die festo eiusdem sanctæ,

Ex legato [Jo]. Tocini

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, sub Ciconijs, via Iacobæa.

M. DC. XX.

ILLVSTRISSIMO
DOMINO, D.
IOANNI LESCALOPIER

Equiti, in ſanctiori Regis Chriſtianiſſimi Senatu Conſiliario digniſſimo; & in ſuprema Parlamenti Curia Præſidi æquiſſimo.

MVltis nominibus (Illuſtriſſime Præſes) ſe recipit ad tutelam tuam BRIGIDA MEA; m ltis titulis ad aram veritatis ſub alam æquitatis & pietatis tuæ profugit. Vt mea eſt, & à me, patrocinium à te expetit; vt ſua eſt, & in ſe, patrocinium impertiet. Binos habet aduerſarios, quorum iniuriam diuerſâ viâ irrogatam, ad amuſſim iuſtitiæ & iuris examinans,

ſeui negotio propulſabis. Nouatores inſectando vellent eam exſortem cæleſtis conſortij in barathrum deijcere: & Albienſes, eorumuè è traduce propago quædam Britannorum, è patria & auita poſſeſſione telluris natalitiæ cuperent eam foras eijcere; vt exulem, & inhoſpitam, poſtea vel inuitam raperent ad ſuum hoſpitium. Iſti nimio peccant odio, dum cælo extorrem, & ſorte beatificæ hęreditatis nudam reddunt: Hi verò, amore prępoſtero, & zelo non ſecundum ſcientiam; qui dum ei proprium natale ſolum non verentur ſubducere, in exilium eam inducunt. Pœnam nos, quam illa non meruit, vnius & alterius deportationis, iure merito

deprecamur. Nouatoribus litem intédimus calumnię, quòd magnam Brigidam, vt magam frigidam ſugillant: ſanctam beneficam, ſagam maleficam appellitantes. Albienſibus verò, non mouemus quidem litem, freti poſſeſſione Tutelaris noſtræ, quam tabulis productis, & teſtimonijs tuemur irrefragabilibus; ſed conſcientiam eorum commemoramus, & monemus pacificè abſtineant ab iniuſta vendiciarum petitione, nec amplius Albienſem faciant virginem hanc Hibernienſem. Quę vt energiâ deuotionis & miraculorum ſynergiâ fudit tartareas poteſtates, & iſtos antequam naſcerétur confudit Nouellantes, quamuis Centuriatis comitijs inflatos, *Magdeburgenſes Cen-*

turiatores, Vide Alanum Copum dialogo 2. c. 22.

ita conuincet modernos Scotos, dum parentum fida atteſtatione, magiſterij educatione, virginalis pudicitiæ dedicatione, paranymphi votiua deſponſatione, monaſterij erectione, cum ſanctis noſtris primitiuis aſſidua conuerſatione, vitæ & mortis conſignatione, & iure ſepulchri, quod violare nefas, probabit ſuam originem & exitum; ſuum domicilium originarium & ſandapilam; ſuum Natalem iuxta & Mortualem. Thaumaturgam benignam expungunt maligni Myſolyturgi ex albo ſanctorum cælitum, quia nolunt eſſe capaces illius benignitatis, qua ſolet illa influere in cultores veræ pietatis: Et eandem, quaſi totam ſoli capere vellent influentiam, è ſan-

Centur. 6. cap. 10. p. 755.

ctorum Hiberniæ censu tollũnt Albienses, in suum Picticum transcribentes eam pyctacium, nimis auidi corriuales.

Tuam amplitudinem delegi Illustrissime Lescaloperi, qui rem totam decernens pro veritate pronuncies, & vtrisque diuerso calle tendẽtibus ad iniuriam virgini inferendam, silentium imponas perpetuum; vt cæteri vereantur vitilitigatores vel septa transilire sua, vel fines alienos inuadere. Te iudicem, vindicem, aduocatum inuoco, iudicem æqui, vindicem veri; Nec alia tibi grata merces, nec alia constabit aduocationis, quàm vt admittaris in clientelam eiusdem quam suscipies defendendam. Illa vtpote patrona ex celeberrimis totius nostrę

nationis, & primaria virago nostræ cognationis, habet iam innumeros clientes, in quorum numerum te quoque recipiet, atque in filium adoptabit iure optimo; qui tot filios Ecclesiæ Catholicæ & ex ijs multos pro fide profugos, alumnos facis tuos, & foues insigni liberalitate. Tu illorum patronus es; tibi illa patrona erit; tuum patrocinium nostris pariter & alijs compluribus perfugium & asylum pręstat: ipsa tibi auxilium è cælo porriget, & intercessionem largietur.

Hęc tua in tam multos ingens beneficentia (quam auguramur tesseram fore perennem tuæ virtutis & zeli propagandę religionis orthodoxæ, & diuini cultus) tametsi omnino gratui-

ta ſcaturigine profluat in noſtram profugam iuuentutem, (cuius Ephœbiam domi deprauare nouitatibus indies nouerca nititur erratica) tamen antidoralem eam quodammodo non diffiteberis, ſi dignaberis, reſpicere ad ſuperiora ſæcula, à ſexta præſertim ætate ad nonam & decimam, cuius in ſecunda parte huius Diſſertationis ratio chronologica ſubducta eſt: quam ſi percurrere pretium operæ putaueris, luce videbis clariùs ſolem vnde radij, fontem vnde riuuli, ſtipitem vnde rami olim protuberârint, ſanctitatis & eruditionis in multas Galliæ prouincias & partes.

Rem offero dignam ſagaciſſima conſideratione Illuſtriſsi-

mæ dominationis vestræ, in cuius panegyrim nolo excurrere, ne offendam animum tuum, vultumuè suffundam rubore. Scio esse ingenia quædam, diuinitus exculta, quæ dũ laudantur in ore, flagellantur in corde: expertus flabra laudum tibi verti in flagra & lanceas, calamum contineo prurientem in tua præconia.

Tu fruere conscientiâ tuâ; vtere diu fœliciter ingenita tibi comitate, studio acquisitâ eruditione, diuinitus infusa pietate; indolem porrò tibi à Deo concessam ad magna heroica perennia, proferat ipse ad multos & prosperos annos, vt sera posteritas liberiùs ea decantet, quæ verecundia in te Christiana, & modestia satagit occul-

care. Theatrum tibi, tua mens. Virtuti Comes gloria. Vale.

Ill^{ma} Amplitudini tuæ deditißimus ex animo.

D. R. E. O. V. H.

DISSERTATIO HÆC diuiditur in tres partes.

Prima pars continet encomium B. Brigidæ; & elucidationem quorundam Dei magnalium, quæ per eam operatus est in ædificationem fidei Catholicæ in Ecclesia Hibernica, quæ etiam distributa erat in tres gradus, & de singulis eorum.

Secunda pars, quæ trimembris est, symbolicè prosequitur eiusdem Ecclesiæ sanctitatem & perfectionem in se inundantem, ac veluti stagnantem; deinde etiam in alias partes, nominatim in prouincias Monarchiæ Gallicanæ exundantem, idque triplici communicatione.

1. in rebus sacris & Ecclesiasticis.
2. in rebus Academicis & litterarijs,
3. in rebus ciuilibus & politicis.

Tertia pars suppeditat hortamenta apta & neruosa operarijs Ecclesiasticis, præsertim alumnis Collegiorum, ad imitationem pietatis sanctæ Brigidæ, aliorumque Hiberniæ sanctorum sedulò capessendam: considerando insignia quædam Acta cum prophetica tu Apostolica

Intermixtâ subinde Hieroglyphicorum scripturalium accõmodatione ad eundem finem.

9

DISSERTATIO
DE S. BRIGIDA VIRGINE.

Lignum habet ſpem ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant: ſi ſenuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius: Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quaſi cum primùm plantatum eſt: IOB. 14.

ILLVXIT nobis hodie ſabba-
tum Sanctum in quo ſancti- 9.
ficatus eſt ſabbatiſmus gloriæ
beatiſſimæ Tutelaris noſtræ
Brigidæ virginis non illius
Scoticæ Albienſis (ſi qua talis) in obſcu-
ra nube ſub modio reconditæ; ſed planè
Kildarienſis in planitie Lagenienſi ſuper
candelabrum Hiberniæ, lucidiſſimè ſplen-
dentis. Cuius annua nunc recurrente fe-
ſtivitate per vniuerſam noſtram nationem
celeberrima, æquiſſimum eſt, quæcunque
nos ora capiet, ne ſollennis diei eiuſdem

Eccli.14 particula nos prætereat: Ecce tempus ac-
94. ceptabile, ecce dies salutis in quo dignum
2. Cor. & iustum est, terram gaudere, cœlum ex-
2. ultare, homines lætari, collętari angelos, omnes collaudare filium Dei, qui dedit tale decus genti nostrę, talem decorem virgini suæ, tale firmamentum, & ornamentum Ecclesiæ Hibernicæ. Ille celebrandus in sanctis suis, quos magna dignatione sanctificat, illi etiam celebrandi in sanctificatore suo, a quo donum sanctitatis acceperant; Ipse est qui hanc nostram sanctam sororem, hanc cognatam & popularem no-
Ephes. stram, hanc aliquando Hiberniæ ciuem,
2.19. sed nunc ciuem sanctorum & domesticam Dei, in via ditauit gratia septemplici, in Patria dotauit gloria multiplici, eandemque orbi proposuit speculum puritatis, integritatis & virtutis.

Beatus vir qui eam genuit, beata mulier quæ peperit, beata quæ portauerunt viscera,
Psalm. ra, beata vbera quæ lactauerunt; beata
1. ipsa quæ non abijt in consilio impiorum & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditata est die & nocte. Et erat tanquam lignum quod plantatum est, secus decursus aquarum, quod fructum suum dedit in tẽpore suo. Et folium eius non defluxit, & omnia quæcunq;, faciebat prosperabãtur

De hoc ligno, eiusque fronde & fructu dicturus, ad ipsius opem confugiam, ipsam mihi adiutricē implorabo, vt qui elingues facit disertos, qui ex ore infantium, & lactentium scit perficere suas laudes, interueniente ancilla sua, perficiat ex ore meo præconium virtutis suæ, qua illustrem hanc puellam honestauit & decore multo variegauit præ consortibus suis. Quidni verò prosperum augurer eloquium, ex illius patrocinio, quæ mutam à natiuitate virgunculam (matre eius postulante) sermone nō quolibet, sed disertissimo locupletauit. *Psal. 8. 3.* *Cogitósus & Surius 1. Febr.*

INVOCATIO B. BRIGIDAE cum distributione huius tractatus.

TV igitur virgo sacrata, quæ mutescentes linguas facundas facis, & fœcundas, linguam meam erudias, atque à balbutiente famulo dignare laudum tuarum partem prædicari. Non ego omnes illas percensêre statui, latiùs enim patent, quàm vt vnius semihorulæ angustia coarctentur. Campus ille spatiosior est quàm tua illa ad Liffæum amnem speciosa planities, vsque ad anhelitum procurrens: Campestre illud æquor immensæ laudationis tuæ, per certos articulos ętatis tuæ à cunis ad canos quandoque digerendæ pleniori

otio reſeruabitur, ſatis erit modò ſi frondoſi huius & fructiferi ligni ſpatulas colligamus aliquas, & de fructu eius ſiue ſero-

Leuit. 14. 40. tino, ſiue præcoce, ſiue medij temporis guſtum, quem ſors præbuerit percipiamus.

Pretioſum erat lignum ipſa, & prodigioſum illud altaris aridum, quod tactu viuifico fecit reuireſcere. De vtroque dicemus, & in vtroque contemplabimur ſtipitem vnde propago pullulauit: & viſo miraculo in cortice ligni, aſſurgemus ad cacumen; ac palma conſcenſa totius Hierarchiæ Hibernicæ, cuius virgula quædam & palmes, ipſa fuerat; ſuſpiciemus diffuſos vndequaque ramos, non iam in alias terras, ne nimium exſpatiando fatigemur, ſed in hanc ſolam Monarchiam Gallicanam, in quam cernimus illam porrectam triplici clauicula, ſanctitatis, eruditionis & ciuilis commercij: Quibus largiter percurſis, redibimus in medium, intuentes ſponſam innixam ſuper dilectum, & aſcen-

Cant. 3 6. dentem de deſerto, ſicut virgulam fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris: quam præ-

1. Petri. 1. 2. ſenti cætui, cæteriſque electis ramis noſtræ diſperſionis & peregrinationis, qua poterimus breuitate & perſpicuitate accommodabimus.

PRIMA PARS Dissertationis

DE S. BRIGIDAE VIRGINIS encomio, & de Ecclesiastica Hierarchia in Hibernia.

MEMBRVM PRIMVM.

VT mihi non est satis compertum vel authoritate maiorum scripta, vel certa ratione tradita, quænam illa arbor fuerit, cuius aridum in altari lignum reuiruit ad Virginis contactum: ita nihil hoc loco temerè de ea definiendum mihi puto. Nam ad sensum quem nunc maximè exquirimus Symbolicum, perinde est, quænam illa qualisuè fuerit. Mysterium enim exequimur modò non speciem, quanquam nec ipsam si nobis scire fas esset, materiam respueremus, quam Deus voluit tanto deseruire miraculo.

Martyrologium Romanum sic exprimit prodigium. *In Scotia* (hanc non aliam quàm Hiberniam omnes docti intelligunt, & ex vitæ eius decursu liquidissimè constat) *Sanctæ Brigidæ virginis, quæ cum lignum altaris tetigisset in testimonium virginitatis suæ, statim viride factum est.* Adstipu- *j. Februarij.*

lantur Beda, Vſuardus, Ado, Mombritius; & alij recentiores, quibus enumerandis ſuperſedeo.

Peruagatum eſt miraculum non abſimile, quo Sanctus Franciſcus aridum ſcipionem, qui feſſis in itinere artubus fulciendis ſeruiebat, Aſſiſij defixit & eundem teſtatur ordo, & cernit orbis Chriſtianus reuiruiſſe, & creuiſſe in proceram arborem, de cuius ligno in hodiernum diem fragmina detruncantur, quæ conficiendis cedunt teſſeris precarijs, alijſuè vſibus ſacris, quos inculpata fidelium deuotio excogitat.

Atque in officio Eccleſiaſtico Sancti Carthagi Liſmorenſis recolitur miraculum de arbore Malo pœnè arida, quæ per ſignum crucis ſalutiferæ ab illo ſancto impreſſum, primùm fronduit, deinde floruit, demum produxit fructum pulcherrimum, ſed amarum; quæ denique amaritudo per eum ablata eſt, repetito crucis ſignaculo, & poma inuenta ſunt vt mel dulcia.

Sed & illud hoc loco videtur commemorandum, quod à Belforeſto l. 4. hiſtor. prodig. cap. 1 traditur, & ex eo allegatur ab Ignatio Ibero Abbate de Fitero, quandam prodigioſam arborem derepente in Hibernia natam in Epiſcopatu Corcagienſi & Clonenſi in Comitatu Deſmoniæ, vndique oneratam roſarijs, ceu pergulam racemis pendentibus, quorum chordulæ

In approbat. vitæ B. Iohannæ de Sancta Cruce.

ſeu filamina ita ramis & ſtipiti adhærebant non minùs fixa & continua, quàm pedunculi pomorum excreſcentium ex arbore, quod ille author obſeruat inſigni miraculo contigiſſe loco & tempore opportuno, quo cœli teſtarentur & approbarent vſum roſariorum, quando inferni titio Lutherus cæpit in Germania ſuas hæreſes ſpargere, & ſectas ſuſcitare nouas, quæ aſpernantur recitationem roſariorum, & indulgentias, quæ ſolent concedi recitantibus; ipſaſque ſphærulas precarias ignominiosè vocitant oua aſpidum, inſulſo ſatis & amarulento dicterio. Rideant iſti ſi velint malè ſani Sanniones, deriſores tandem irridebit Deus; ſuoſque famulos condecorabit, ſuos Mardochæos honorabit quibuſcunque voluerit honoribus.

Decadem vnam ex iſtis roſarijs habuit amicus meus. R. Dermicius Quinlanus liſmorenſis.

De iſto autem virginitatis teſtimonio tam decantato ac celebri S. Brigidæ ſuboriri dubitatio poſſet, quænam virginis explorandæ cauſa extiterit, an vocata vnquam in quęſtionem eius pudicitia fuerit, vt purgatione opus fuiſſet, quemadmodum de ſancti Patricij nepte, Ardachadendenſis epiſcopi Melæ ſorore traditur, ignitos carbones illęſo ſinu geſtâſſe ad probandam virginitatem: Et prunas è thuribulo in ſinum Theogoniæ iniectas caſtitatem eius manifeſtaſſe: Sancti quoque Brictij demonſtratam innocentiam cum ardentes

Vita illius sãcti & traditio iſtius Eccleſiæ.

Surius in vita S. Iohãnis Elee-

mosyn. Gregor. Turon. de eodẽ sancto. Paraphrastes Surianus 1 Februa.

prunas byrrho incõbusto portaret. Atque in historia huius nostræ Tutelaris, cum Episcopus Bronus traheretur in calumniam à pellicula, quæ infantem furtiuè enixa patrem eius ipsum palam asseruerat: Brigida veritati simul & famæ innocentis consultum cupiens, cum ab impudica matre spontaneam veri confessionem elicere non posset, signo crucis ori eius impresso, rictum mendacis reliquit turpiter retortum in fidem & indicium calumniationis. Infantem mox signans quum patris sui veri nomen vt ediceret inuitauit, ille ætatem præueniens clarè hoc expressit, tantisper compos sermonis, dum purgaret innocentem.

Sic etiã S. Sigebertus Austrasiæ Rex 40. ætatis die respondit. Amen clare in suo baptismo. ita Sigebertus Gemblacen. in eius vita.

Multæ occurrunt his similes historiæ sacræ, quæ Deum vindicem innocentiæ probant: sed quòd Brigidæ fama periclitata vnquam fuisset, nusquam legisse memini. Ratio igitur editi miraculi non fuit infamiæ abstersio, sed tuitio, & custodia illibatæ virginitatis, quam illa cum medullitus imbibisset, eiusque in cõnubio florem plures ambirent proci, prolemque ex ea parentes exoptarent, æmula Sanctæ Agnetis & castitatis intrepida cultrix, vocemq; imitata eius in hæc verba præeuntis, *Corpus pereat quod amari potest oculis quibus nolo;* sic consecuta est efficacitate intimi voti sui, in vultu blando prius & amoris illice, im-

mutationem, vt vno oculo defluente luſca & deformis appareret, quaſi intra ſe illa dixiſſet, *Forma pereat, quæ amari poteſt oculis quibus nolo.*

Audiamus paraphraſim Surianam de tota re vt geſta eſt. Accidit vt ab amicis ad ineundum coniugium multis modis vrgeretur. Sed cum illi ſorderent amplexus hominis mortalis, & corruptibilis, præ deſiderio, & amore Ieſu Chriſti ſponſi immortalis, rogauit Dominum, vt turpem & deformem ipſam efficeret, atque ita ab eius appetendo coniugio omnes abſterrerentur. Mox & audita eſt, & oculus ęius crepuit, & inſtar aquę liquefactus eſt. Tum verò permiſſum eſt ei nuncium remittere procis omnibus, & Chriſto ſe virginem conſecrare. Itaque tribus aſſumptis puellis abiit ad Machillam Epiſcopum ſancti Patricij diſcipulum: qui vt eam conſpicatus, vidit columnam ignis ſuper caput illius. Perlectis autem precibus, Brigida virgo ſubmittens caput, pedem altaris ligneum ſua manu contigit, & mox lignum illud viruit, & oculus eius ſanitati eſt reſtitutus, cum velum accepiſſet.

Stupendum omnino prodigium, ex quo aliud etiam mox naſcitur; rem clariùs proſequente Cogitoſo, cui aſſentitur Mombritius. Cum enim eam ſui parentes more humano deſponſare vellent, illa cælitus

inſpirata ſe virginem caſtam exhibere volens Deo, ad Epiſcopum Sanctiſſimum beatæ memoriæ Macca perrexit. Qui cæleſte intuens deſiderium & pudicitiam, & tantæ cæſtitatis amorem in tali virgine pallium album & veſtem candidam ſuper ipſius venerabile caput impoſuit. Quæ coram Deo & Epiſcopo ac altari genua humiliter flectens, & ſuam virginalem comam Domino omnipotenti offerens, fundamentum ligneum quo altare fulciebatur tetigit. Quod lignum in commemoratione priſtinæ virtutis vſque ad præſens tempus viride, ac ſi non eſſet exciſum & decorticatum, ſed in radicibus fixum vireſceret, & vſque hodie languores, & morbos de hominibus expellit fidelibus.

Macca & Machilla, idem.

Hic ordo erat, hæc origo miraculorum. Virgo voluit ſe inuiolatam ſeruare ſponſo ſuo, & ille vt coram ſibi & deſideratam oſtenderet & ſponſam his eam oſtentis nobilitauit.

Bonus Dominus, qui nouit opera operibus intexere, ipſe etiam miracula elicit è miraculis. Stupenda erat hæc, ſed votiua tamen oculi illecebroſi defluxio; Magis adhuc ſtupendum prodigium ligni ſicci reflorentis; & ſtupendiſſima reſtitutio oculi prius amiſſi ad pedem altaris, ad lignum ſuppedaneum aridũ, quod ipſam altari affuſam credibile eſt lachrymis irrigaſſe.

Viror virginalis cum vitta veli nuptialis votum pignorale cum genuflexione ad lignum altaris, luminoſam frontem priùs exoculauit, eandemque lumine orbatam rursùm lucidiùs adoculauit.

CONIVGII B. BRIGIDÆ cum ſponſo cæleſti, arrha, dos, & mundus muliebris multarum virtutum, & gratiarum.

MEMBRVM II.

QVAM caſtum hoc & ſplendidum coniugium eſt B. Brigidæ cum ſponſo cæleſti, quod ipſe in arrham, & pignus amoris perpetui tot ſignis & prodigijs honeſtauit; tot locupletauit oſtentis in oſtenſionem intimi affectus. Machilla paranymphus deſpondit eam vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto: redimiuit eam ſerto pudoris, amiciuit theriſtro pudicitiæ, mille argenteos dedit Abimelech in velamen oculorum, vt ſe depreheſam meminiſſet: gladius antea poſitus ſuper oculum dexterum, iam amotus eſt, reſtituto viſu, vſuque luminis amiſſi. Iam cyclade aureas circumdatam ſubarrhauit ſponſus monilibus virtutum, quibus in tota vita coruſcabat, armillas & inaures contulit ei,

2. Cor. 11. *Gneſ. 20. 16.* *Zachar. 11. 17.* *Ambroſ. l. de virginibus.*

*Cant.*1. & murenulas aureas vermiculatas argẽto:
11. Totus ille mundus muliebris, quem pro-
Esai. 3. pheta deſcribit in eam exornandam accu-
19 -- mulatur. Faſcia pectoralis virgineæ ſancti-
21. 22. tatis, gemmæ pendentes in fronte vere-
cundia; ſpecula mitræ, & diſcriminalia pru-
dentiæ & diſcretionis: vittæ pacis & ſyn-
dones concordiæ: acus & annuli, & tor-
ques fortitudinis; palliola charitatis; &
linteamina miſericordiæ, olfactriola &
mutatoria temperantiæ: ornamentum cal-
ceamentorum, & lunulæ vanitatis munda-
næ ſub pedibus conculcatæ. Et cum iſtis
monilibus interiùs micaret anima, corpus
tamen macie, vigilia, ieiunio maceratum
pro ſuaui odore fœtorem ægrotantium,
quibus inſeruiebat leproſis, paralyticis, &
alijs auræ tetrioris ſilicerniis, pro zona fu-
niculum, pro criſpante crine caluitium, &
pro faſcia pectorali cilicium corpuſculo
aptabat.

Simile quidpiã de S. Genovefa oleoque ab ea benedicto quod adhibebat da- Multos ſancta virgo claudos, leproſos, dæmoniacos, varijſque affectos morbis curauerat: quum ecce ad eam veniunt duo leproſi, cum lachrymis ipſam rogantes pro corporis bona valetudine. Orauit virgo pia, & cùm aquam benedixiſſet, iuſſit vt ſe inuicem aqua illa abluerent. Lotus vnus, ſanus effectus eſt: cui cum diceret ſancta virgo vt ſocium lauaret, & ille ſuam iactitans ſanitatem alterius lepram contin-

gere nollet, ſenſit mox diuinam vltionem, totoque corpore lepra percuſſus, ſocium ſuum vidit benè ſanum & incolumem: ſiquidem illum ſancta Brigida mundârat. Diſcreuit inter vtrumque infirmum prudentiæ diſcriminali, & iuſtitię diſcernicu-lo, vt qui noluit conſorti ſuo compati, in eandem ipſe ſortem altero liberato recideret.

monia-cis ſa-nia ndis 3. Ian-uary a-pud Su-rium.

Charitatis verò & concordiæ ſtudio quantum illa flagrârit, vel hoc vno facinore vtrumque ſatis cognoſcitur. Tribus leproſis ſtipem poſtulantibus cum aliud quod erogaret munus non ſuppeteret, vas largita eſt argenteum, quo illi præſentem leuarēt inopiam Sed ne charitatis donum cauſa foret diſcordiæ & contentionis, quando illi inter ſe acceptam eleemoſynam diuiderent; cuidam aurifici æqualiter diuidendum tradidit: cumque ille ſe excuſare cæpiſſet, dicens ſe æqualiter ponderare non poſſe, ipſa apprehenſum vas alliſit contra lapidem, & in tres ęquales partes, vt voluit, confregit; quibus poſtea ſeorſim ponderatis in ſtatera, nulla pars aliam vel obulo vno ſuperauit; vnde pauperes ſine vlla iniurię aut inuidię cauſa læti receſſerunt cum ſuis donis; adeo ſollicita illa erat ne munus à charitate profectum contra charitatem militaret: & in pari cauſa, parique merito, ex norma iuſtitię diſtributi-

uæ, egeſtate preſſos recrearet.

Quam illa fortis in fide fuerit, multis conſtat documentis: nam & aquatilia, & volatilia eius parebant imperio, & ſylueſtres feræ, apri, ac vulpes, hominesque ad feritatem belluinam efferati, imperata vel etiam conſulta illius magna animi promptitudine faciebant: quin & dæmones voci eius obedire diuinitus cogebantur: ſic in vita eius Manuſcripta Bibliothecę prædicatorum ſupra Mineruam in vrbe habetur inter alia; quod energumenæ auidam liberandæ aliquando illa operans, hoſti humani generis cum poteſtate præcepit, vt verbum ſanum irreprehenſibile in conſpectu circumſtantis coronę proferret, cui reſiſtere neſciens incola tenebrarum, breuem ſed energia plenam ſententiam prompſit; Dilige inquiens Deum, & diligeris ab hominibus; time Deum, & timeberis ab hominibus, imò & à dęmonibus cum tremore metuetur, quiſquis Deũ cum reuerentia metuerit, vnde & Tertullianus ad hunc ſenſum non inſcitè de illis pronuntiauit, quod Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubiiciuntur ſeruis Dei, & Chriſti. Cui non abludit illa Cypriani exclamatio. O ſi audire eos vellet & videre quando à nobis adiurantur, & torquentur flagris ſpiritalibus; & verborum tormentis de obſeſſis corporibus eii-

Apologet. c. 23.

Ad Demetrianum.

ciuntur, quando eiulantes, & gementes voce humana, & poteſtate diuina, flagella & verbera ſentientes, venturum iudicē confitentur. Mihi credite fratres inquit, magnꝰ Antonius, pertimeſcit Satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cuius vnico ſanctiſſimæ crucis ſigno debilitatus aufugit.

His omnibus cum emineret ſancta Brigida, ſatis armata procedebat ad conflictum contra aciem tartaream, quam è corporibus obſeſſis cum victoria profligabat.

Sed de temperentia eius nihilnè dicendum, cum cæteras in ea virtutes cardinales viguiſſe pateſcat?

Parum illi videbatur ſuos appetitus refrænare & rationi ſubiicere, niſi etiam alienam intemperantiam & bulimiam ſanaret: vt quod de ſancto Malachia ſcribit S. Bernardus, impetraſſe illum precibus à Deo gratiam patientiæ, longanimitatis & manſuetudinis fœminæ, cui ſpiritus iracundię vſque adeo dominabatur, vt non ſolum vicini & cognati fugerent conſortium eius, ſed filij quoque ipſi vix ſuſtinerent habitare cum ea: ita ſancta Brigida voraciſſimo cuidam manduconi, qui ingenti corporis robore fretus, incredibili in-

In vita Malach

Ex Laurentio Dunelmenſi paraphraſis. Surij.

gluuie laborabat, temperantiæ moderamen à Deo obtinuerit, vt viribus corporis nihil detractum esset, sed ad communem cæterorum hominum edendi bibendique mensuram redactus fuerit, cum antea Cogitoso asserente duodecim virorum cibaria indies voraret solus.

Cogitosus j. Februarij.

Hæc igitur tam multis, & magnis diuinę largitatis fulgens magnalibus pręparata & sponsata cęlesti sponso, propheticam in se experta est Dei promissionem apud Osẹam, Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide: fidelis ipse qui nemini debẽs præstat quod promittit; qui spondet sibi animam castam: ne animum despondeat qui sponsatur, datque capitque fidem, & verbo veraci firmat contractum sponsalitium. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam ad vocem sponsi. O *coniunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, & vxor auricula*, inquit in re simili Augustinus, obliuiscere domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.

Cap. 5. 15.

Serm. 15. de tempore.

Nonne oblitam Brigidam putabimus paternæ domus, & cognationis; quando spreta parentum & procorum importunitate, sollicitantium ad nuptias corporeas, superni pręoptauit thalamum sponsi, cum-

cum quo & in quo per diuinarum rerum contemplationem conquiesceret? Nonne Magistrę vestigia probè secuta est Daria discipula, quæ oculorum licet orbata lumine, mente tamen oculata vacabat & videbat, quàm suauis esset Dominus. Perducta illa ad Sanctam Brigidam eam sic rogauit, Benedictionem impertire oculis meis, vt pro voto liceat mihi cernere mundum hunc visibilem. Fecit Brigida, vt erat rogata; & illa statim vidit. Verum præ mentis interiori luce, mundi huius lumen fastidiens, rursus orauit sanctam Brigidam, vt iuberet pristinam in eius oculos recidere cæcitatem, ita dicens: *Tanto quisque maiori Dei præsentia perfruitur, quanto hinc mundo absentior est*. Orauit denuò Sancta Brigida & mox illa videre desiit. Sapienter considerauit pronas esse mentes plerumque in abusum creaturarum, cum creatoris contemptu, vt videri possint *quasi in odium facta, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Sapiēt. 14. 11.

Proinde maluit orbari fruitione periculosa spectabilis orbis, vt liberiùs supra orbes cæli volubilis ad empyreas sedes subuolaret. Noluit in rete pedes suos mittere ne in maculis eius ambularet. Teneri laqueo noluit plantam, ne contra se exardesceret rerum fluxarum sitis. Abscondita Iob. 18. 8. 9. 10.

eſt enim in terra pedica vanitatis, & decipula illius ſuper ſemitam. Maluit in vniuerſum carere, quàm guſtu ſaliuam ducere & irritare appetendi ardorem.

Quid verò ſibi vult diuerſa hæc donorum diſpenſatio? Nunquid aliud iudex nunciat, aliud præco clamat? Aliud magiſtra docet, aliud diſcipula combibit? Dariæ vtroque oculo captæ vterque ex voto reſtituitur, & reſpuit: Brigida ex voto fit vnocula. Haud precariè oculatur ex attactu ligni, quod ipſa reuegetauit ſumpto velo, votóque facto virginitatis, nec eam pœnituit reſtituti aſpectus, quem Daria eſt ſortita diuino, ſed veluti pœnitendo ſibi beneficio.

Vna quidem ſic, alia verò ſic; ſed vtraque recto intentionis oculo reſpiciebat bonum finem, altera carendo cum ſecuritate, altera fruendo cum gratiarum actione: Deo bonorum omnium largitori, iuxta menſuram donationis Chriſti, humiliter vtraque ſeruiebat.

Prou. 5. 16. 17. 18. Ipſe eſt, ex cuius ore procedit iuſtitia; legem autem & miſericordiam in lingua portat. Viæ eius pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. Lignum vitæ eſt his qui apprehēderint eam, & qui tenuerit eam, beatus. Vbique ex ore Domini iuſtitia, lex, & miſeratio promanat: omnes viæ eius pulchræ ſunt, & pacificæ. Lignum vitæ eſt re-

quirentibus misericordiam, seruantibus legem, colentibus iustitiam: aliis bona valetudo, forma corporis, pulchritudo prodesse potest, aliis obesse, alij bene vtuntur libertate, diuitijs rerum & virium affluentia, sensuumque integritate, & bona habitudine, alij abuti possunt.

Daria timebat abusum, Brigida rectum vsum tenebat; vtraque pacificè carpebat iustitiæ & sanctificationis callem, vt lignum vitæ apprehenderet. Lignum altaris aridum à sancta Brigida apprehensum, eiusque attrectatione reuirescens, & iam viride factum, visuique medelam afferens; nostro intellectui quandam repræsentat imaginem illius in ligno suffixi, qui semel cruētè immolatus in cruce, quotidie in altari offertur incruentâ immolatione. Aruit tanquam testa virtus eius, præ nimio dolore, pœna, cruciatu; Sed morte triumphata reuiruit floridissima resurrectione: Ipse enim erat via, veritas & vita; ipse vitis cuius nos palmites sumus: ipse vinum germinans virgines, & panis pinguis præbens delicias Regibus: Sub istis speciebus in altari tangitur, tenetur, deuotè accedētibus fructuosè sumitur. Ipse germinauit sibi hanc virginem nostram, quæ facta est ei quasi vitis abundans in lateribus domus eius, & filiæ eius sicut nouellæ plantationes in circuitu mensæ eius.

Facta est Brigida virgo multarum virginum doctrix & ductrix ad monasterium à se ædificatum intra pomœrium Darensis municipij: & ibi altrix alumnarum suarum in sanctâ disciplinâ, & institutione regulari, ipsum monasterium, &, ecclesia puellaris (non me, sed Cogitosum loquentem auditis) *quasi vitis frugifera diffusa vndique ramis crescentibus in tota Hibernensi insula inoleuit, in qua Abbatissa, quam omnes Abbatissæ Scotorum venerantur, fœlici successione & ritu perpetuo dominatur.*

DE HIERARCHIA *Ecclesiæ Hibernicæ.*

MEMBRVM III.

SERIES narrationis factæ, non inuitos quidem, sed nescientes nos deduxit ad obseruandum statum quendam Hierarchiæ Hiberniæ: in qua aduertimus extitisse tres Ecclesias manufactas, quæ altioris fabricæ non manufactæ symbola, per omne dominium Hibernorum singulari prerogatiua eminebant. Nam cum in multitudine eorum, qui diuino cultui mancipati sunt, diuersi sint gradus & ordines; Alter propriè Hierarchicus, alter Asceticus siue regularis. Et in isto secundo Therapeu-

tarum gradu diuersi sint sexus : In singulis his, sub ipsam Ecclesiæ Hibernicæ nascentis auroram florebant illustria capita singulorum graduum. Sanctus Patricius caput ordinis Hierarchici, Sanctus Columba ordinis monastici, Sancta Brigida fœminei sexus sanctimonialium. Patricius fundauit Ecclesiam Ardmachanam, quæ cæterarum in Hibernia & vicinis Ebudibus cathedrarum mater & metropolis esse solet; Hyense in Hebridibus monasterium à sancto Columba stabilitum (cui proximum dices, & quodammodo succedaneum Benchorense in Vltonia à Congallo, aliísque famigeratum claris successoribus) quod in omnes præterea monachorum conuentus, ius & imperium obtinebat, vt omnes vni parêrent Ecclesiæ, eiusque præposito Columbæ successori, etiã maiores prælati teste venerabili Bedâ, presbytero obedirent, quod de Regularibus potissimum conuenit accipi, vt reuerentiæ non iurisdictionis obeditio fuerit quoad alios non Therapeutas. Tertium monasterium hoc Brigidianum in cãpestribus prope Liffæũm *supra fundamentum fidei firmiter constructum, cuius sedula fundatrix prudenti dispensatione* (ex Cogitoso loquor) *de animabus suorum regulariter procurans, & de Ecclesijs multarũ prouinciarũ sibi adhærentibus sollicitans & secum reuoluens quod sine*

Aliter dicti sũt Hebrides. Erat & monasteriũ Dearmach. valde celebre. l. 3. hist. c. 4. fortè Beda loquitur de domino temporali insula Hiensis.

summo sacerdote, qui Ecclesias consecraret, & Ecclesiasticos gradus in eis subrogaret, esse non posset, illustrem virum, & solitarium omnibus moribus ornatum, per quem Deus virtutes operatus est plurimas, conuocans eum de eremo, & de sua vita solitaria, vt Ecclesiam in Episcopali dignitate cum ea gubernaret, atque vt nihil de ordine sacerdotali suis deesset Ecclesijs, accersiuit: hæc ille.

In proœmio apud Cogitosũ.

Nota de Ecclesia S. Genouefæ & Cathedrali Parisiẽsi, & de vtriusq; Prælato intra pomœriũ Abbatia.

Quod sequitur autem de cathedra Episcopali, & Ecclesia puellari inuicem coniuncta, & de principatu illius basilicæ super alias istius insulæ, non alio commodiore sensu accipio, quam vt intelligatur hoc cœnobium puellare cæteris per Hiberniam cœnobiis monialium (vti iam dixi de Hyensi) ita præcelluisse, vt authoritatem & iurisdictionem, quando opus esset in illa omnia exerceret, aut loquitur auctor de gratuitâ non vero debitâ recognitione honoris & reuerentiæ. Ipsius verò formam & figuram basilicæ ex eodem si placet auctore accipite.

Ecclesia, crescente numero fidelium, & vtroque sexu, solo spatiosa, & in altum minaci proceritate porrecta, ac decorata pictis tabulis: tria intrinsecus habens oratoria ampla, & diuisa parietibus tabulatis, sub vno culmine maioris domus, in quo vnus paries decoratus, & imaginibus depictus, ac linteaminibus tectus, per latitudinem in orientali Ecclesiæ parte, à

pariete ad alterum parietem Ecclesiæ se tetendit, qui in suis extremitatibus duo habet ostia; & per vnum ostium in dextrâ parte positum, intrat ad sanctuarium ad altare summus Pontifex cum sua regulari scholâ, & his qui sacris sunt deputati ministerijs, sacra ad Dominica, & immolare sacrificia: Et per alterum ostium in sinistrâ parte parietis supradicti, & transuersi positum, Abbatissa cum suis puellis, & viduis fidelibus tantum eunt, vt conuiuio corporis & sanguinis fruantur Iesu Christi: Atq; alius paries in pauimentũ domus in duas æquales diuidens partes, à parte orientali vsque ad transuersum in latitudine parietem extensus est. Et hæc tenet Ecclesia multas in se fenestras, & vnam in latere dextro ornatam portam, per quam Sacerdotes, & populus fidelis masculini generis sexus intrat Ecclesiam; & alteram portam in sinistro latere, per quam virgines & fidelium fœminarum congregatio intrare solet. Et sic in vna basilicâ maximâ, populus grandis in ordine, & gradibus, & sexu, & locis diuersis, interiectis & inter se parietibus, diuerso ordine, & vno animo Dominum omnipotentem orat.

Hanc templi effigiem ipsa vetustate venerabilem, & ex idea primitiuæ Ecclesiarũ in structura fabricatam, quam videre licet apud Dionysium [a] Areopagitam, [b] Clementem PP. Gregorium [c] Nazianzenum, [d] Ambrosium, & alios in memoriam an-

[a] *Eccles. hierar.*
[b] *l. 1. constit. c. 61*
[c] *In somnio de Anastasia.*
[d] *l. de Virgine lapsa.*

tiquitatis referre, volui vt inde clariùs eluceret ſymbolica ſimilitudo, qua & virgo ipſa viti aſſimilatur, quæ palmitum fruticantium varietate veſtitur: & monaſterium eius in hiſtoria vitæ, eadem comparatione vitis adumbratur, quæ multas ex ſe propagines emiſit.

Quemadmodum autem Brigida ſancta cum ſuo ſancto puellarū cęnobio configuratur viti: ſic Columba cænobiarcha cum ſuo Archiſtęrio aſſimilabitur ficui; ſic cum Ardmachana cathedra Patricius Primas oliuæ comparabitur.

Ex his tribus conſurget Eccleſię Hibernicę Hierarchia & Aſcêſis: in his recumbet totius fabricę Eccleſiaſticę baſis: ab his propagantur emiſſiones ſurculorum, germinationes ſtolonum, & elatæ illæ
Cant. 5. 11. palmarum, quibus ſponſi coma in Canticis exornatur, in his & fluuij Diorix, &
Eccl. 24. 41. corriuationes aquarum ſalientium in vitam æternam, in cęteras regiones ac potiſſimùm in hanc Gallicanam Monarchiam inundârunt. Iſta hierarchia eſt oliua illa fructifera, ex qua protuberauit ſurculus, quem columba ore portauit, & in ſymbolum pacis oſtendit puſillo gregi cum ſuo grandęuo gubernarcha, apud quem
Eccl. c. 44. v. 19. teſtamenta ſęculi depoſita erant, ne deleri poſſet diluuio omnis caro dum orbem iterum ſapientia ſanaret per contempti-

bile lignum iustum gubernans. *Sapiēt. 10. v. 4.*

Illa Ascêsis, & archistærium Columbæ figuratur in parabolica ficu, non illa sterili ficulnea, quam arefecit Christus spiritu oris sui, quod folijs sine fructu luxuriaret, sed in illa fęlici ficu, sub qua verum Israëlitā vidit, in quo dolus non erat. *Ioānis. 1. v. 42. 43.* Non illa ex qua primi generis humani pręuaricatores consuerunt sibi perizomata ad tegendum turpitudinem peccati, sed illa ex qua massa ficuum in malagma regij vlceris ad sanitatem confecta est monente propheta. *Esai 38. v. 21.*

Monasterium denique Brigidianæ Congregationis, non erat illa syluestris labrusca producens vuam fellis, botrum amarissimum: sed vitis frondosa Israël post flores vuis maturescens, in cuius sanguine pallium suum purpurauit noster Iosephus; ex qua etiam fidi exploratores terrę promissionis absciderunt palmitem cum botro suo, quem in palangâ vectauerunt in castra sanctorum. *Osea. 10. v. 1. Gen 40 v. 10. & 49. v. 11. Numer. 13. v. 24.*

Apud Athenęum refertur ex Charete Mitylenæo, Regi Persarum fuisse vitem auream, cuius racemi erant ex gemmis pretiosissimis, lectumque cum ceruicali valoris quinque millium talentorum auri, & subsellia ter millium talentorum argenti: Sed pluris ęstimanda est viua illa sanctę Brigidæ vitis, quàm bracteatum istud vel conchyliatū perituri hominis pe- *Athenæus l. 12. & habetur ad calcē Herodoti.*

rituro artificio elaboratum figmentũ: pluris faciendus thalamus castitatis, quàm lectisterniũ deauratum artis adulterio, cum suppedaneo fallacis metalli è terra euiscerati.

Hęc tria nobis (si fas sit) accipiantur tanquam propagines ligni vitę in paradiso nascentis: sint nobis tres illę fœcundæ & fœlices arbores, quę Deum & homines lætificabant, & Rhamno aculeis horrido in medium se inferente, (per quem denotatur hęresis) noluerunt deserere pinguedinem suam, dulcedinem suam, suauissimum liquorem suum, vt inter ligna syluarum promouerentur.

Iudic. 9. v. 8 9. 10 11 &c.

Ex hac pingui, dulci & liquida vbertate vitis, ficulneæ & oliuæ Hibernicæ degustârunt tum aliæ multæ ditiones & dominia, tum vel maximè Galliarum fines quaquauersum: in quibus etiamnum hodie celeberrima viget memoria nostratium sanctorum, qui glebam hanc verè fortunatam excoluerunt vomere prædicationis Euangelij, condecorauerunt eruditionis & doctrinæ trophæis, & mutua communicatione ciuilis commercij, variâ rerum vicissitudine recurrente, sibi inuicem altera alteri pro ara, asylo, perfugio seruierunt.

☞ De tribus his officiis quia multis non sunt satis cognita & comprehensa, compluribus autem alioquin non indoctis, vix fando, legendouè audita; cum non sint

nostro parerga proposito, paulo accuratius hoc loco, saluâ patientiâ vestrâ, disceptabimus.

SECVNDA PARS Dissertationis.

DE COMMVNICATIONE bonorum inter Galliam & Hiberniam.

MEMBRVM PRIMVM.

MVtuam dico communicationem fuisse inter gentem Gallicanam & Hibernicam in his quæ ad religionem, quæ ad ingenij cultum, quæ ad ciuilis vitæ societatem pertinent, sed quæstio in singulis moueri non iniuriâ potest, vtra ambarum nationum alteram præuerterit in officij cuiuslibet exhibitione; Nam de eo nulla potest esse disceptatio, vtra diutius perseueret in beneficijs cumulandis, cum omnes nos, qui adsumus testes oculati simus nostro summo cum solamine & refrigerio gentem nostram deuinctam esse, adeôque deuictam Gallorum beneficentiâ & humanitate, dum nostros profugos benignè suscipit, fouet beneuolè, & multa charitate prosequitur.

Illud igitur eſt quod in dubium vertitur, vtra alteram anticipando, primitias præripuerit; exempli cauſa, an Galli plus debeant, & prius obligentur Hibernis, an è diuerſo Hiberni Gallis pro euangelij veritate tradita & diſſeminata.

In confeſſo eſt, S. Patricium primarium, etſi forſitan non primum fidei apud nos prædicatorem, S. Martino Archiepiſcopo Turonenſi ſanguine coniunctiſſimum (alij è ſorore nepotem, alij paulo magis diſſitum autumant) atque eundem à ſancto Germano Antiſiodorenſi Epiſcopo pietate imbutum, litteris inſtructum, & ſacrarum ſcripturarum meditatione præcultum fuiſſe, quibus ille factus eſt idoneus, qui à Cæleſtino PP. cum ſummi ſacerdotij, & legationis apice ad gentis noſtræ conuerſionem eſſet deſtinatus, & cum plenitudine poteſtatis miſſus, quam plenus fructus ex eadem miſſione conſecutus fæliciter comprobauit.

Quod ſanè beneficium nobis ſaluberrimum pleno ore nec immerito deprædicat Henricus Antiſiodorenſis in Magiſtri laudem deriuans labores diſcipuli. Sed cũ iſta contigiſſe quarto demũ ſæculo cõſtet, nempe circa annum Chriſti 432. quo Patricius in Hiberniam peruenit, ſi anteriori ætate comperiatur quiſpiam ex hac noſtra natione, qui lucem fidei, & doctrinam

veritatis infuderit populo Gallicano, causam obtinemus. Nec alium magis competentem iudicem quærimus in lite ista dirimenda, quam Gallos natos A. Democharem Monchiacenum Doctorem Sorbonicum: & Franciscum Rosierium Archidiaconum Tullensem: Antonius quidem l. 2. de missæ sacrificio aduersus Mysolyturgorum blasphemias c. 33. asserit sanctum Mansuetum *discipulum sancti Petri socium sancti Clementis* ex natione nostra oriundum (quæ tunc & diu post Scotorum notatione signabantur) primum Episcopum Tullensem extitisse: cuius opinioni concinit Franciscus tomo 2. de stematis Lotharingiæ. histor. capital. 22. in hæc verba. *Tullum Leucorum vrbem primariam accessit Mansuetus patria Scotus, vir nobilis & Christianus, ab Apostolo Petro illuc Roma missus, quem dudum audierat, fideique rudimenta ab eo susceperat vt verbum Dei euulgaret.*

S. Mansuetus Hibern. sancti Petri discipulus.

Romà missus ad vrbē Leucorum.

Vtrique verò satis consone Guilielmus Eisengrenius Centenario 1. parte 1. distinct. 3. tempus etiam missionis eius indigitat, scribens in hunc modum. *S. Mansuetus natione Scotus* (intellige consueta olim significatione) *ex nobili prognatus familia Simonis Bar-Ionæ Apostolorum Coryphæi discipulus, socius B. Clementis Episcopi Metensis, à Petro Leucorum in vrbe Tullensi primus Antistes consecratus est anno 49.*

Christi anno 45.

Si igitur his assertoribus fidem adhibemus, manifestum est, educatione S Patricio exhibita à S. Germano, multo priorem fuisse instructionem Leucorum in fide à sancto Mansueto Hiberno factam. Sed missam faciamus istam litem, tametsi nobis euictam ore duorum vel trium testium, ex veteri forma legis probetur: citeriora consulamus tempora, quorum & indago certior, & testatior est notitia. Euoluamus Annales & Acta sæculorum, quæ ab aurea illa ætate, qua floruerunt nostri tergemini Patricius, Brigida & Columba, effluxerunt ad exordium Conquestus Anglicani, quo Henricus eius nominis secundus Hiberniam primus inuasit, inueniemus pænè innumera sanctitatis nostratium pignora, quibus in vita locupletauerunt, & in morte nobilitauerunt terrestrem hunc Europę paradisum: sic iure quodam suo nobilissima Gallia nominatur.

Intuere mihi Hiberniam iam in se illustratam & collustrantem alios radijs sanctimoniæ, in triplici illo ordine, quem distinximus sacerdotum, monachorum, & monialium, tripartitâ serie successionis gubernatam, ducta huius ordinatissimæ gubernationis origine, gradus quidem hierarchici à sancto Patricio, monastici virilis à S. Columba, fœminei verò à S. Brigida, cuius memoriam nunc recolimus. Cerne

hanc triformem Ecclesiam, vnionis aptæ, arctę & apostolicæ vinculo religatam, suū iam spargentem iubar per circuitum illarum nationum, quæ penuria verbi Dei, quasi famelicæ catellæ contabescebant. Cerne ramosam hanc & racemosam Hierarchiam vndequaque iaculantem suarum propaginum flagella Cerne adimpletum Isaiæ vaticinium in ordine sacerdotali. *Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui patris eius, & suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera omne vas paruulum, à vasis craterarum, vsque ad omne vas musicorum.* *Esai. c. 22. v. 23. 24. 25.*

Ex hoc fideli paxillo Hierarchico, quem Deus & Christus eius in Hibernia fixerat, omnia illa vasa musica & ministerialia suspensa sunt, quæ in Angliam, Scotiam modernam (antea Albiensem & Pictorum patriam,) quæ in Belgium, Alemanniam, Italiam, quæ in diuersas cuiusque earum, & dissitas prouincias exierant instrumenta idonea, Spiritus sancti organa, quæ suâ ipse impleuit cælesti harmonia, plectro vocis eorum tanquam fila chordarum tangens corda fidelium. *Prosper: ad Demetr.*

De alijs in alias regiones ex Hibernia profectis, nulla mihi imprę̨sentiarum mentio erit (alibi enim ista meminimus) in Gallia degimus, de Gallia sola nobis ser- *In tractatu de prarogat.*

Ecclesia Armachana. mo erit, quantum debeat acceptum referre Hibernis ſanctis & apoſtolicis operariis, qui iſthinc in has oras aduenerant ſæculo quinto, ſexto, ſeptimo, octauo & quod exteriùs huc verſum excurrit; Antiſtites venerandi, monachi exemplares, pudicæ, caſtæque virgines, quibus tanquam luciďiſſimis ſtellis, & gemmis pretioſiſſimis coruſcabat hoc acupictum conopæum Gallicanæ nunc Monarchiæ florentiſſimæ: tunc enim magis diſtracta erat in varios principatus, antequam Pipinus & digna magno parente maior ſoboles, Carolus verè Magnus ſub vnius ſceptri faſtigium, ſub vnius diadematis ambitum, ſub vnius obedientiæ nexum, diuiſas redegiſſet ditiones.

DE SANCTO COLVMBANO aliјſque Hiberniæ Sanctis, qui in Gallijs prædicarunt.

MEMBRVM II.

Clotarij 2. cum Dagoberto filio ſimulachrũ erat ſolummodo vel DIuerſa erant regna Galliarum ſub Sigeberto & Chilperico, ille Auſtraſiam cum Burgundia: iſte reliquam ferè Galliam cum parte Germaniæ, imperio tenebat: vtriuſque Regni principes nouum aduenam Columbanum Lagenienſem, ex Hibernia patria ſua recenter aduectum

uectum certabant officiis humanitatis & obseruantiæ cultu, sibi arctiùs deuincire, auditis magnalibus, quæ per ipsum diuina bonitas operabatur. Summa hominis austeritas in Vosâgi eremo: magna despectio mundani honoris, & quæstus à Regibus delati; Luxouiensis monasterij erectio & fratrum ibidem canonica directio, magnum ei honorem, & existimationem conciliabat. Quibus numero excrescentibus, aliud cænobium construendum erat. *Nam ad eius famam plebs vndique concurrere, & se cultui religionis dicare curabat, ita vt plurima monachorum multitudo adunata, vix vnius cænobij collegio considere valeret. Ibi nobilium liberi vndique concurrere nitebantur, vt spretis phaleramentis sæculi, & præsentium pompam facultatum contemnētes, æterna præmia caperent. Quod B. Columbanus cernens, vndique ad pænitentiæ medicamina plebem concurrere, & vnius cœnobij septa tantam conuersantium cohortem absque difficultate non continere; quamuis mente vna, & corde vno, tamen conuersationi tantæ multitudinis incongruum, alium experimento locum quærit, quem aquarum irriguitas adornabat, aliudq; monasterium construxit; cui ad Fontanas nomen indidit. Deditque eis gubernatores & præpositos, quibus ipse vicissim omnibus intererat, regulamque quam tenerent Spiritu sancto repletus condidit.* Eiusdem-

rudimētū monarchiæ quæ mox in diuersos pricipatus diuisa est.

que ſpiritualis alumnus Donatus Ducis Vvaldaleni filius, precibus B. Columbani ſuſceptus à Flauia coniuge, antea improle, factus poſtea Veſoncionenſis Pontifex, amore Beati patris, ex ipſius regula monaſterium conſtruxit, quod Palatium nuncupant, ob veterum munimenta murorum.

Ex his & ali s quæ gerebat, omnium amorem & bonam apud omnes opinionem ita contrahebat, vt Reges ad eum ſæpe venirent & orationum ſuarum ſuffragium omni cum humilitate depoſcerent.

Sigeberto Rege perempto (quem Chilperici germani ſui dolus ad internecionem perſequebatur) Childebertus filius eius regni ſceptra ſuſcepit: annuente matre Brunichilde: Mortuo deinde Childeberto infra adoleſcentiæ annos, regnauerũt filij Childeberti duo, Theodobertus, & Theodoricus, cum auia ſua Brunechilde. Regno Burgundionum Theodoricus potitur; regnum Auſtraſiorum Theodebertus ſuſcepit regendum: Theodoricus ergò, quia in terminis Regni ſui B. Columbanum haberet, gratulabatur non minimè. Ad quem cùm ſæpiſſimè veniret, cœpit eum vir Dei increpare, cur concubinarum adulterijs miſceretur, & non potiùs legitimi coniugij ſolamine frueretur, vt regalis proles ex honorabili regina prodiret, & non potiùs ex lupanaribus videretur

emergi. Cumque iam ad viri Dei imperium, Regis sermo obtemperaret, & se ab omnibus illicitis segregare responderet, mentem Brunechildis auiæ, (secundæ vt erat Iezabelis) anguis adijt, eamque contra virum Dei stimulatam, superbiæ aculeo excitat; quia cerneret viro Dei Theodoricum obedire. Verebatur enim, ne si abiectis concubinis, Reginam aulæ præfecisset, & dignitatis atque honoris sui modum amputasset.

Quid facit superba fœmina, truculenta lupa? Regis animum exasperare aduersus Sanctum, vi & astu contendit. Orabatque proceres aulicos, optimates omnes, vt regis ab eo animum abalienarent, Episcopos etiã sollicitare aggressa est, vt de eius religione detrahendo, statum regulæ, quam suis custodiendam monachis tradiderat, sugillando macularent. Obtemperantes igitur miseri aulici miserandæ Reginæ persuasionibus, Regem ad illicita ausa impellebant, cogebantque vt monasterium eius accederet, ac religionem probaret. *Luxouium venit Rex, & cum alia sugillationis causa deesset, cum sancto expostulat, quòd à cõprouincialiũ moribus discedẽs, & intra septa secretiora omnibus Christianis aditus non pateret. Cui fidenter Columbanus, vt erat audax atque animo vigens, respondit: Se consuetudinem non habere, vt secularibus homini-*

Prætextum vexandi sanctũ Brunechildis accipit ob negatã, ab eo benedictionem illegitimis Theodorici filijs.

bus, & à religione alienis famulorum Dei & habitationis pandat introitum; se opportuna aptaque loca ad hoc habere parata, quo omnium hospitum aduentus suscipiatur. Ad hæc Rex; Si inquit largitatis nostræ munera, & solaminis supplementum habere cupis, omnibus in locis omnium patebit introitus. Vir Dei respondit: Si quod nunc vsq; sub regularis disciplinæ habenis constrictum fuit, violare conaris, nec tuis muneribus nec quibuscunque subsidijs me fore à te sustentandum scias. Et si hanc ob causam tu in hunc locum venisti, vt seruorum Dei cœnobia destruas, & regularem disciplinam macules, scito tuum regnum funditus ruiturum, & cum omni propagine regia demergendum. Quod postea rei probauit euentus. Iam enim temerario conatu Rex refectorium ingressus fuerat. His ergo territus dictis foras celer repedat. Duris post hæc viri Dei increpationibus vrgetur. Contra quæ Theodoricus ait, Martyrij coronam à me tibi inferendam speras? Non esse, ait, tantæ dementiæ se, vt hoc tantum patraret scelus: sed quæ sunt potioris consilij se agere & vtiliora paraturum: vt quia ab omnium sæcularium moribus desciscat, qua venerat, ea via repedare studeat. Aulicorum simul consona voce vota prorumpunt se habere non velle his in locis, qui omnibus non societur.

Obedio, sed spe martyrij inquit Malachias coactus suscipere regimen Armachana Ecclesia.

Quid multis? expellitur monasterio Columbanus; & exilio addicitur, vrgetur, at

Bernard.

teritur graui Brunichildis ira & persecutione: vt virtus eius latiùs splendesceret, & plura loca, quæ illis peragranda erant, odore sanctitatis eius replerētur, Ciuitas Vesentionum, Augustodunū, Antisiodorum, Niuernum, Aurelianum, Nannetense territorium & ciuitas, sapore virtutis & claritudine miraculorum eius reficitur. Tota ripa Ligeris cum vrbe Turonensi aura vocis eius & vitali halitu recreatur: oppressores innocentiæ eius & comitum mala morte mulctantur. Istas omnes vrbes, & terras obiuit eductus è sua Luxouiensi eremo, vt in patriam cum suis reuerteretur.

Funesta erat & quasi funeralis ista deportatio viri sancti cum sancta discipulorum cohorte: Sed nec custodes appositi, quasi funeris portitores, permittebāt alios eum sequi, nisi eos, quos sui ortus dederat, vel qui è Britannicis aruis ipsum secuti fuerant, cæteros, qui Gallico orti forent solo, inibi remāsuros. At cum egregius pater cerneret, vi à se sua membra discerpi, tam suus, quàm etiam membrorum suorum dolor multiplicabatur, & pro tanti sceleris pondere Dominum omnium consolatorem deprecabatur, vt quos à se regia pertinacia segregabat, ipse suâ custodia tueretur.

Exauditus est sanctus pro sua reuerentia. Miraculo impeditur nauigatio: vnde osten-

susceptori suo prænunciat monarcham futurũ totius Galliæ, quod ita factũ postea vt infrà cernere est.

ditur non esse volũtatis diuinæ, vt in patriã redeat. A Clothario Chilperici filio rege Austrasiorum honorificè suscipitur, quem non falsò prædixit vniuersæ Galliæ futurũ regẽ. Apud hunc egit, vt per Theodeberti regnum in Italiam perueniret. Datis ergo comitibus, qui eum istuc perducerẽt, *cum venisset ad hanc vrbem Parisiensem, occurrentem sibi in portam debacchantem dæmoniacum, seque ipsum discerpentem sanat. Illum enim à longè acclamantem, Quid his vir Dei agis in locis? raucoque anhelitu venire Columbanum vociferantem: Cùm vir Dei sic tumultuantem videret, Egredere, inquit, pestifer, egredere, nec corpora Christi lauacro abluta diu obsidere præsumas. Cede virtuti Dei, & Christi nomine inuocato contremisce. Sed cum diu sæuis atrisque viribus obstaret, vir Dei manum ori eius iniecit, linguamque attrectat, & virtute Dei imperat vt egrediatur. Tunc horrida vi discerpens eum ita, vt vix nexibus teneretur, cum viscerum motione ac vomituum motu progressus tantum fœtorem adstantibus dedit, vt sulphureos se crederent faciliùs tolerare posse odores.*

Deinde ad Meldense oppidum properat. Vbi à Channerico Theodeberti Regis conuiua gratanter exceptus, filiam eius Burgundoforam benedicens, Domino vouit. Progressus inde ad Vulciacum villam supra Matronam amnem sitam, ab Autha-

rio & Aiga coniuge humaniter ſuſceptus, filios eorum nondum ex infantia egreſſos, à matre oblatos benedictione ſacrauit. qui poſt vt pubeſcere cœperunt, Clothario Regi, ac deinceps Dagoberto gratiſſimi habiti ſunt. Sed poſtquam ſæculi gloria fuerant illuſtrati, anhelare cœperunt, vt per gloriam ſæculi, non carerent æterna. quorum maior natu Ado nomine, ſemet ſuis voluptatibus abdicauit, poſtque intra ambitum Iurani ſaltus, monaſterium ex Beati regula Columbani conſtruxit, iuniorque nomine dato intra Briegenſem ſaltum, ſupra fluuiolum Resbacem ex ſupradicti viri regula aliud ædificauit monaſterium. Tanta autem in viro Dei gratia redundabat, vt quoſcumque ſacraret, in boni cultus perſeuerantia dies ſuprema inueniſſet, Illique iure dictum ſit, vt quos de induſtria monuiſſet, gauiſi ſint poſtea ſe impunitatem meruiſſe: Nec immeritò tanti viri fultus adminiculo, paris gratiæ potitus eſt ſupplemento, qui eius doctrinis innexus, noluit à iuſtæ vitæ tramite deuiare. Brie nnēſem.

Vbi ad regem Theodebertum venit, eum ille ouans ſuis ſedibus recepit. Iam enim multi fratrum poſt eum ex Luxouio venerant, quos ille veluti ex hoſtium præda ereptos ſuſcipiebat: pollicituſque eſt Theodebertus, intra ſuos terminos apta & venuſta loca, omnemque opportunita-

tem famulis Dei congruam, proximasque ad prędicandum nationes vndique haberi. Cui vir Dei inquit. Si pollicitationis tuæ adminiculum præbes, & vadimonio falsitatis noxa non apponitur, aliquantisper me commoraturum promitto, ac probaturum, si in cordibus gentium fidem serere valeam. Dedit ergo Rex ei optionem loci quacunque in parte ipse voluisset experimento quærendi, inquisitumque inuenerunt vicinum Rheno oppidum olim dirutum quod Brigantium nuncupabant.

De Sueuorum vicina illic natione per eum ab idololatria expurgata, de Alpium deniq; transgressu & honorifica per Agilulphum susceptione, de Arriana perfidia scripturarũ eius cauterio curata, de Apennini ruris incolatu, & Monasterij Bobiensis reparatione in honorem principis Apostolorum; De studio adeundi Veneticorum terminos, Slauosque ibidem cæca errorum caligine clausos, luce euangelica illustrandi, donec ab Angelo prohiberetur; de vaticinio eius in Theodebertum prolato, quòd arrogantiæ supercilio deposito, clericatu esset initiandus, orta inter ipsum & Theodoricum fratrem controuersia, qui victus in prælio ad Tulbiacense castrum, monitu Brunichildis Theodorico fauentis, se clericum fecit, nec multo pòst, eâdem iu-

bente ſceleratè peremptus eſt. Theodorico autem diuinitus percuſſo in oppido Metenſi cùm inter flagrantis ignis incendia mortuus eſſet, filium eius Sigebertum, Brunichildis in Regnum ſuffecerat. Deinde vt contra Sigebertum Clotharius arma mouit, captumque ipſum cum alijs quinque Theodorici filijs, & auia eorum Brunichilde, memor prophetiæ Columbani, pueros ſeparatim peremit; Brunichildem verò ignobiliter camelo impoſitam, hoſtibus gyrando monſtrauit, poſtque indomitorum equorum caudis alligatam miſerabiliter diſcerpſit. Atque ita funditus deleta ſtirpe Theodorici, Clotharius potitus eſt ſolus trium regnorum Monarchia: vno, intra triennium cum omni ſtirpe penitus exciſo; alio violenter clerico facto, tertio trium Regnorum poſſeſſione ac dominatione dilatato, omnibus ad amuſſim completis iuxta viri ſancti prædictionem. De his nolo tumultuoſam hiſtoriam texere. Nam horum ille pertæſus tumultuum in Italiam, vt dixi, ſe contulit. Clotharius autem memor omnium, quæ vir Dei prænunciauerat, eaque euentu comprobata obſeruans, Euſtaſium ſancti viri ſucceſſorem in Luxouienſi monaſterio blandè ad ſe aduocat, legatumque cum ſupplemento publico adornat comitatus aliquot nobilibus, & primarijs viris qui ſui

vadimonij arbitri essent, & eleganti suasu ad se vt veniat, hortarentur. Ille viso Eustasio recepti muneris aditu gratulabatur, & tantisper apud se retentum hortatur, vt sui laboris reminisceretur, cohortem fratrum disciplinæ habenis erudiret, multorumque collegio Christi plebem adunaret, suisque institutis educaret. Dimissum posthæc ad Clotharium ire iubet, talibusque respōsis regias mulcere imperataures, seque nullatenus remeare posse, tantumque poscere vt sodales suos, qui Luxouiũ incolebant, regali adminiculo ac præsidio foueret, & litteras castigationum effamine plenas Regi dirigit. Has recepit Rex animo læto tanquam fœderis viri Dei obsides; dictum monasterium omni beneficentiæ præsidio munit, annuisque cēsibus ditat, & terminos eius prout volũtas venerabilis Eustasij erat, vsquequaque dilatat, atque omni conatu ad auxilium inibi habitantium ob amorem viri Dei intendit.

Hæc, quæ nos summariè perstrinximus, latiùs prosequitur Ionas Abbas. Quibus Lib. 5. c. 7. adde ex Otthone Frisingensi. *Quòd trecentorum prædictus vir Dei, pater extitit monachorum, qui omnes patris sui monita secuti, excepto Eberuino, inter ciues Christi adscripti creduntur. Hic enim solus ex illis caducis honoribus à Brunichilde illectus, retrò abijt, & militiæ cingulum sumpsit, Maiorque domus ef-*

fectus, multis malis præfatos Dei seruos afflixit, ac B. Leodegarium martyrem fecit.

Diutiùs hisce recensendis insistere volui, quod in triplici commercio Hiberniæ cũ Gallia, in sanctitate, doctrina & ciuilibus officiis, hic vnus eminuisse videtur. In cæteris itaque restrictiores erimus, contenti digitum ad fontes intendere, vnde qui volent haurire copiosè poterunt, quæ præsenti materiæ deseruiant.

S. COLVMBANI ITINErarium in Gallia tempore exilij & diuersæ memoriæ Hibernorum passim ibidem.

COlumbanus cum multas partes Regni amplissimi peragrasset, Burgundiam, Britanniam, Franciam tam orientalem quàm citimam, & Sequanæ, Matronæ, Ligeris, Rheni oram legisset, vbique vestigia pressit religionis & sanctimoniæ, omnibus inter quos versabatur doctrinæ, vrbanitatis, morum suauitatis auram afflauit; quibus etiam perpetuandis & ad posteros propagandis officinas erexit, ergasteria condidit, archisteria construxit. Testatur id Luxouium, Fõtana, Palatium, Adonis & Dadonis monasteria: testantur & tot pignora sancta, corpora sanctorum

Hiberniæ, quæ vt in viuis erant Spiritus ſancti ſacraria, & organa diuinæ gratiæ pluribus communicandæ: ita mortis ære ſoluto, cum viuant Deo, & immortales animę fruantur eius beatifico aſpectu, ſuis obtinent hoſpitijs multa diuinitus priuilegia, de quibus alibi reuiuiſcet oratio: teſtãtur denique marmorea monumenta, ſtatuæ deauratæ, picturatæ feneſtræ vitro verſicolore: votiuæ in templis tabellæ, pauimenta teſſellata, depicti parietes, tituli ſepulchrales, arcuatæ fornices, abſides gradatę, velatę cathedræ, peda paſtoralia, capſę reliquiarum, thecæ argenteæ & aureæ, inſtituta ſodalitia, aliæque memoriæ complures, quæ vigent in hoc regno, & floridiùs viguerunt, antequam locuſtarum agmina ex abyſſo egreſſa; errones dico & tenebriones hęreticos, Bacchico furore multa alibi fœdâſſent, alibi deturpâſſent, vbique quâ poterant irrumpere, è ſolijs & cellis imo ex cœlis, ſi conſcendere poſſent, in ſolum deturbare voluiſſent animas beatas, eadem mentis cæcitate & inſania, qua corpora eorum, vaſa illa ſanctificata animarum nuper viua habitacula, & fida inſtrumenta deiiciunt, conculcant, & in conſpectu ſolis huius (ô magnam Dei patientiam!) cineres ſacratos ventis deuouere geſtiunt.

HAERETICORVM INVIDIA & odium in res ſacras: & exemplo ſanctæ Brigidæ illos eſſe fugiendos.

VAſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea; quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Quantum in ipſis erat Chriſtum iterum crucifixerunt; Chriſticolas fideles, eorumque ſacra pignora deſtruentes. Filium Dei verum oſtentui habentes, quando filios Dei adoptiuos non viuos ſolùm, ſed etiam mortuos perſequebantur. Non vnum ſed multos occiderunt, multos ſuffoderunt muros dirutis oratorijs, demolitis monaſterijs, profanantes ſacra, ſacrãtes profana, ſibi tumultuantes, aliorum quietem perturbantes, conſilia praua machinantes, iniquitatem meditantes. In conſilium igitur eorũ, cariſſimi populares, nõ veniat anima noſtra, Beatus vir qui non abiit, non ſedit, non ſtetit in cœtu malignãtium ſicut, Columbanus Arrianos, Brigida magos, ita fugiamus conſortium prauorum præſertim Hugoniſtarum. *Geneſ. 49. v. 5.*

Scriptum eſt de noſtra S. Brigida, adeo *Surius & Cogitoſus.*

à teneris eam refugisse magorum anno-nam, cibaria, conuictum; vt quando vel inuitæ ingereretur esca ab illis parata, ventriculus virginis ingestam mox eijceret, tanta erat antipathia genialiter infixa illius ingenio, aduersus maleficum istud genus hominum. Et nos itidem abhorreamus à communicatione cum seducentibus & seductis hæreticis: non immemores Ecclesiæ primitiuorum, in qua nec Aue illis diceretur, nostrique tam primi satores, quàm proximi propagatores doctrinæ salutaris, tanquam pestem & colubrum defugiebant eorum consortium.

Sed quoniam versamur modò, in expiscando commercio Gallicanę gentis cum Hibernica, in his quæ ad fidem & cultum Dei pertinent, quia nescientem me diutulè detinuit S. Columbanus, cæteros, vt dixi, necesse erit leuiori brachio percurrere.

DE REGE DAGOBERTO eiusque proximis successoribus, & sub ipsis Sanctorum ex Hibernia, ac primò de sancto Liuino cum socijs, & de sancto Fursæo cum fratribus.

CLotario Regi successit Dagobertus filius per annos sedecim, qui Clo-

douæum secundum reliquit hæredem cum S. fratre eius Sigeberto in Austrasia regnante. Clodouæi huius filius Clotarius tertius regnauit tribus circiter annis. Sub his regibus sæculo sexto, multi de Hibernia in Gallijs peregrinantes, verbum Dei seminabant, multumque fructum faciebant, Molani verbis vtar. *Primùm Sanctus Liuinus Archiepiscopus cum tribus discipulis. Deinde tres sanctissimi fratres Fursæus, Vltanus, Foillanus. Fursæus à Clodouæo honorificè susceptus, Latiniacum cœnobium fundauit; Peronæ etiam alterum monasterium cum Ecclesia, Ercanaldo Maiore domus, principe pientissimo, sumptus suppeditante.* Is multos insignes & sanctos Predicatores in Galliam & Belgium euocauit, vt mirum non sit Apostolicos Episcopos Eligium & Autbertum, quarto post obitum anno, corpus eius quod omninò incorruptum deprehendebant, è terra subuexisse.

Chron. SS. Belgy re capitul. 6. 7. & 8.

Tres discipuli S. Leuini, Helias, Foillanus. Kilianus.

Surius, Molan. & alij. 16. Ianuarij.

Et cùm aliquot annis apud Hibernos suos; deinde apud Britones, & Anglos verbum Dei disseminasset, ad Gallias transiuit (inquit meus auctor) cumque *Atrebati apud quandam dominam hospitium peteret, eaque recusaret, morbo correpta est, à quo vt liberaretur sanctum virum reuocauit. Qui renuit venire, absens tamen eam sanauit. Cameracenses vt Episcopum colunt; non quòd proprij nominis Episcopus fuerit, sed quia*

quorundam locorum puta in Gallia Apostolus fuit. Ipsius stupendas visiones, & de quatuor ignibus mundum vastantibus, mendacio, cupiditate, dissensione, & impietate, consulite venerabilem Bedam, Laurentium Surium, & alios.

Historia Angli. lib. 3. c. 19. Surius. tom. 1. 16. Ianuarij.

Habetur sanctum Vltanum fratris sui Fursæi successorem in Perona fuisse, vbi vsque ad obitum suum, sanctum Amatum Senonensem Episcopum fouit, quem Theodoricus Rex iniustè in exilium truserat. Beatæ quoque Gertrudi familiarissimus fuit. Quæ per ipsius & sancti Foillani manus Deo partem hæreditatis suæ obtulit, villam ex situ loci Fossas dictam, vt in eo loco construeretur monasterium, ad perpetuum peregrinorum hospitium, in quo B. Vltanus rector resedit, suumque fratrem sanctum Foillanum martyrio coronatum cognouit.

Foillanum successorem constituit Fursæus frater, in prouincia Anglorum, in monasterio à se constructo, postquam prædicatione verbi Dei multos ibi incredulos ad Christum conuertit; & credentes in fide, & amore Christi confirmauit. Quibus ritè gestis ipse ad eremiticam vitam secessit, relicto monasterio & animarum cura fratri Foillano, vt dictum est. Sed aliquanto post, propter opus Euangelij in Galliam commigrauit. Cuius exemplo prouocatus

uocatus Foillanus Romam iuit petiturus á Martino Pontifice Episcopalem benedictionem, ad infidelium conuersionem, qua accepta, inquit Molanus, *ad Gallias venit fidei propagandæ causa, martyrioque occubuit cum tribus discipulis in sylua Carbonaria loco Ampolinis.*

DE SANCTO BERTVINO *& alijs ex Hibernia sanctis in Gallia operarijs.*

HIs coæui aut suppares fuerunt apostolici ex Hibernia præcones in Gallia, Bertuinus Episcopus, qui Maloniam cœnobium apud Namurcum construxit; Etto Episcopus, qui apud Auesnas verbum Dei seminauit: Vvasnulphus Episcopus, qui in Condato vsque ad obitum Domino seruiuit; Eloquius Abbas qui similiter ex Hibernia ad Galliarum littora venit cum sanctis Fursæo & fratribus, necnon Boëtio, Mombolo, Adalgiso, Hettone, Helano, Tresano, Germano, Verano, Columbano; non illo Lageniensi de quo superius, sed alio recentiore, qui omnes multum populum Domino, per Saxoniam & Galliam acquisiuerunt. *Molan. 3. Decemb.*

Bertuini quidem peregrinatio erat huiusmodi. Postquam diuina monitione Ro-

mam abijt, ibique duos annos solitariè exegit, in Gallias ad Sambrum commigrauit, vbi eruditionis suæ radijs tenebras expulit peruersitatis. Cuius virtutes admiratus est non tantùm Odoarius Princeps, sed easdem Pipino commendauit, qui sancto villas quinque in voti sui propositum concessit, ob quam donationem cum quinq; pingitur Ecclesijs, multumque fructum
A. 651. Deo fecisse in Gallijs, testantur Sigebertus, Molanus, & alij.

De sancto Ettone historia Lætijs, & Louanij ac alibi, manuscripta sic refert; fuisse *septem fratres vno spiritu* & fide in Christo concordes, licet non de omnibus simus certi vtrùm fuerint carnali natiuitate germani; Qui cum beato Madelgario ex Hibernia orationis gratia Româ iuerunt, ad limina Apostolorum, & inde cælitus admoniti in Gallias commigrarunt. Ex his beatus Eloquius cum sancto Algiso in Theoracensem pagum inter Helpram & Isaram; Gloriosus verò sacerdos Domini Etto bonorum actuum dignus præconio, ad locum Corbriolo adiacentem recessit. vbi superatis quibusdam molestijs, quas ei Iouinus fundi dominus inferebat, monasterium construxit, quod donum Petri nuncupatur: in quo Dei seruos suorum redituum largiflua benedictione solabantur, quos ille verbi Dei semine reficiebat. Con-

Gallice vocatur S. zè.

firmatis autem in fide Christi discipulis mundo crucifixus, & redemptori viuens, tempore à se præcognito, cursum consummauit: cuius anima ab Angelis in cælum est euecta corpus autem terræ inhumatum assidue fulget virtutibus curationum.

DE SANCTO VINCENTIO *Hiberno Regis Dagoberti Affinæ.*

ET quia Medelgarij mentio facta est, sciendum postea vocatum fuisse B. Vincentium Hannoniæ comitem, inter palatinos Regis Francorum Dagoberti non infimum. Habuit enim vxorem consanguineam Regis beatissimam Vvaldetrudem, ex qua proles quatuor suscepit. Ipsumque inquit historia rerum gestarum ipsius, Rex habuit ad annos aliquot Hiberniæ gubernatorem (quod quo sensu accipi oporteat, alibi oportuniùs inquirendum erit) Vnde postea in Gallias rediens, sanctissimos & strenuos fidei prædicatores

Vtrum ex populari errore id haustũ, an ex palatino videatur parasitismo, alij iudicent. Certè occurrunt multa istius generis hallucinationes in historicis alioquin probatissimis, & in Actis sanctorum plurima, vt de Basino rege Britanniæ, die 14. Iulij de sancto Lietphardo Anglorum Archiepiscopo Cãtuariens. 4. Februarij, cum Onastantio Londriarum præsule de Forannano Archiepisc. totius Hiberniæ & Scotiæ de Dominormore, & in præfatione Surij in elogio de vita ipsius Georgius à Scohtborg vocatur Archiepiscopus Lõdinensis.

ſecum adduxit. Autbertum Epiſcopum Cameracenſem miro humilitatis affectu coluit, qui eum adeo ſuperni amoris feruore accendit, vt depoſito cingulo militiæ ſæcularis, totum ſe ad diuinum cultum aſtrinxerit. In municipio Altimontis monaſteriũ conſtruxit vbi monaſtico habitu, ſub ſanctę conuerſationis regula, ſeſe humiliter recluſit, Erat enim ſeruata charitate ſeparatꝰ ab vxore ſua Vvaltrude, quæ in Caſtriloco ſanctimonialiũ monaſteriũ cõſtruxit.

Et quod meretur notationem ac admirationem, locus ille ex nouo incolatu ſancti Vincẽtii factus erat veluti prytanęum virtutis, Academia pietatis, & Athenæ ſanctitatis: Tunc enim permulti ſanctitatę & religionis zelo illuſtres, hunc montem, vocabulꝙ & religione altum, frequentârunt, de animarum ſalute loquentes. Anſbertus Rothomagenſis Epiſcopus exilio proſcriptus: Hugo Abbas Gemiticenſis; Vlmarus Abbas Bolonienſis; Giſlenus ex Cellenſi monaſterio, Etto Britannus ſacerdos; Amandus ex Elnone, Vvaſnulphus ex Condato, Vrſmarus & Erminus ex Laubaco; Foillanus & Vltanus ex Foſſenſi monaſterio, Aldegũdis ex Malbodio; Vvaldetrudis ex Caſtriloco; Gertrudis ex Niuella: illuc aduentabant omnes, ſacræ collationis, & ſpiritalis colloquij cauſa: ſic Antonius Abbas ad Paulum eremitam, ſic

Apoſtolus Paulus ad Petrum Apoſtolorum Coryphæũ, ſic diſcipuli Baptiſtæ ad Dominũ & Magiſtrũ omnium, ſic olim ex Gallia, Britannia, Germania ad ſãctos in Hibernia prȩceptores, tanquam ad emporium perfectionis, & ſcholã deuotionis commeabant.

Quam amabile & deſiderabile erat illud contubernium, in quo tam ſancti contubernales, de rebus ad ſalutem pertinentibus conſultabant, alij aliis communicabant: ab alijs alijs accipiebant, ſeque vi ciſſim alter in alterius animum ſuaui infuſione virtutum inſinuabant, & quod de ſancto Antonio perhibetur, tanto pietatis ſtudio incenſum, vt quemcumque videret aliqua virtutis laude excellentem; illum imitari ſtuderet; ita credamus in hac congregatione accidiſſe. Erat enim conuenientium cor vnum & anima vna & in vnum pietatis & perfectionis ſcopum collimabant: cæteris videbatur honoratior Vincentius, ideoque delectus eſt, ad quem omnes conuenirent, vt ex eius honeſtate participarent. Pondus quippe ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat. Et quod notauit S. Gregorius PP. *vtilis ſemper eſt docti viri allocutio, quia aut diſcit audiens, quod neſcire ſe nouerat, aut agnoſcit quod eſt amplius, id quod ſe & neſciſſe neſciebat.*

A Gilbertus Gallus in Hibernia educatus Hen. Archidiac. vide & in vita ſãcti Carthagi Liſmore. multos è Gallia & Britannia ad eum cõfluxiſſe diſcipulos. Solitum ſupra 800. habere alũnos & in vita ſãcti Patricij per Iocelinũ in Hiberniam. & alios habetur Gallos comitatos illum vel ſecutos in Hiberniam. *L. 7. Regiſt. Epiſt. 29.*

Multis profuisse oportuit hanc congregatorum concordiam, qui sic fæliciter conspirantes, Episcopi, Presbyteri Abbates, Abbatissæ, singuli postmodum ad propria reuersi, vtrumque gradum & sexum pijs documentis informare, & doctrina veritatis poterant ædificare proximorum charitatem.

DE SANCTO VVIRONE *Hiberno Pipini Principis confessario & Consiliario.*

DIximus Madelgarium, seu Vincentium nostrum sub Dagoberto Rege floruisse, cui carissimum fuisse & affinitatis nexu coniunctum ex coniuge Vvaldetrude consanguinea regis iam audiuimus: nec multo post illum ex Hibernia S. Vviro Episcopus claruit sub Pipino Francorum Duce: non illo primo Pipino, principe inferioris Austrasiæ, cui Regni curam & prouidentiam omnium dum Sigebertus filius eius nominis tertius ætate cresceret, Dagobertus pater imposuit, sed Pipinus secundus cognomento Herstallus, qui tanti fecit Vvironem nostrum, ceu animæ suæ præsulem, vitæque patronum: vt propter eximiam sanctitatem sua illi peccata confiteri, detractis calceis soleret. Sæpius etiam volebat eum interesse

Molanus Surius & alij.

communibus maiorum consultationibus; quemadmodum Dagobertus Arnolphum Metensem Episcopum, eoque mortuo Cunibertum Coloniensem sanctitatis fama illustrem, quem in negotijs Regni Austrasiæ tractandis adhibebat.

Aduentus sancti Vvironis in Galliam hac occasione & ordine contigit. In patria sua, fertili sanctorum insula (inquit historia vitæ eius) vbi in Episcopum electus, compulsus est assentiri, & iuxta insulæ cōsuetudinem, Romam missus est, summi Pontificis manibus consecrandus; Comes illi itineris, & voti accessit Plechelmus, quibus adiunctus est Otgerus Leuita. Romam peruenientes, Apstolorum limina lachrymis rigant, altaria precibus & votis cumulant, loca sancta crebrò inuisunt. Quos mihi nunc dabitis tales tam deuotos peregrinos? Cognita Pontifex aduentus causa Vvironem diu reluctantem Episcopum ordinat: eumdemque honorem Plechelmo impertit. quos muneribus auctos, mox in patriam remittit. Inde autem data opportunitate in Gallias abierunt, & à Pipino Duce Francorum, cum is didicisset illorum sanctitate totam eorum patriam illustratam esse, locus à turbis remotus est attributus, qui vulgo Mons-Petri dictus est, in quo oratorium virginis Mariæ consecratum est, itemque sancti Petri monaste-

Apud Surium & in monumentis Ruremundēsium, & Vltraiectinorũ: & in natalibus Molani.

rium. Cum autem laborum appropinquaret terminus, & gaudium instaret præmiorum, modica febre correptus, carnis occubitum cum vitæ sempiternæ ortu commutauit. Estque sacrum corpus intra oratorium Beatissimæ matris Dei conditum, & ad sepulchrum eius plurima diuinitus conferuntur beneficia.

SANCTORVM HIBERNIAE in varijs Galliarum prouincijs & locis sacrum Odæporicon, & Apostolica itineratio.

RApior inuitus à torrente hoc sanctorum, vt nec velis demissis anchoram in statione figere possim.

Hinc vellor à Picardia, cuius Apostolos cum cæteris inuenio Sadochum (alii Caidocum nuncupant) & Adrianum Presbyteros nostrates Confessores Hibernos, qui Picardiæ incolas magnam partem ad fidem conuertunt. Et reliquiæ ibidem ad Pontesium habentur, vt ex Martyrologio Anglicano constat die 26. Aprilis. Vbi & Surius citatur in vita S. Richarij.

Picardia

Britannia. Armorica.

Illinc auellor in Britanniam Armoricam à sancto Maclouio, siue ipse Hibernus, siue Hiberni alumnus: erat enim discipulus

ſancti Brendani & nauigationis comes per immenſa illa pelagi ſpatia, & lentam locorum ac inſularum circuitionem, de qua in vita vtriuſque prolixè tractatur: qua tandem confecta Maclouianus portus & ciuitas, eum vt in viuis Præſulem, ita defunctum vindicat patronum ac tutelarem.

Iſthinc reuocor in Lotharingiam, cuius Apoſtolum ſanctum Albuinum Hibernum, poſtea Epiſcopum Friſlarienſem doceor ab Arnoldo Vvion in ſuo ligno vitæ ex Trithemio.

Lotharingia.

Vvion l. 2. in Catalogo. Epiſc. Friſla.

Hinc rurſum ad territorium Pariſienſe reducor, vbi in Meldenſi tractu admoneor ſancti Fiacrij noſtri ab Epiſcopo Pharone ſuſcepti, cuius voluntate obtinuit nemoroſum locum à viſu hominum ſegregatũ, in quo vitam eremeticam duxit, cuius res præclarè geſtæ, & ſumma innocentia morumque integritas in Officio proprio, & apud Surium atque alios circunfertur.

Trithẽ. l. 3 c. 263. & l. 4. c. 190.

Territorium Pariſiẽſe.

Et ne deſit lucerna fœminei ſexus Hibernigenæ in Gallia, S. Syra virgo germana ſoror eiuſdem Fiacrij, fratrem inſecuta ſub Abbatiſſa Phara in monaſterio Brigenſi prope Pariſios quieuit in Domino. Et intra ipſam ciuitatem Pariſienſem clarent monumenta ſancti Fiacrij: claret & Sodalitium hortulanorum ac olitorum ſub eius tutela erectum in eadem vrbe.

Vide inſignem de eo Sequentiã elucidatam à Clicntouao in ſuo Elucidatorio Eccl. Meld.

Nec ſola Syra ex illo ſexu, etiam S.

In Ecclesiis S. Iudoci. Oſmanna virgo ex regio ſanguine Hibernorum procreata, parentes licet impios haberet, in fide & honeſtate morum priuatim inſtructa cum vna pediſſequa matrimonium pagani declinans in Franciam iuxta Ligerim conceſſit, vbi vitam egit ſanctam & ſolitariã, vt ex Roberto Bucklando in L. Ms. de vita Ss. Mulierum A A. & ex Chronico Hibern. & Franciæ refert Martyrologium vernaculum Anglicanum.

Ripa ligeris. Territorium Ebroicenſe. Sed nec prætereunda ſancta Burgundifora virgo & Abbatiſſa, quæ licet origine Gallica, tamen diſciplina & educatione ſancti Columbani Lagenienſis Hiberni imbuta, & eius magiſterio fœlicior quam ortu, ab eo deſtinata eſt in Armoricam, & monaſterio Ebroicenſi præfecta, obdormiuit in Domino circa annum 610. De qua videatur apud Bedam tom. 3. Surius in vita S. Columbani, Martyrologium Romanum, & Molanus.

Neuſtria, *ſiue Normannia* Quid verò de Neuſtria? itane eſt vt Hiberniæ nihil illa acceptum ferre debeat? minime id quidem: nam & viuis & mortuis noſtratibus sãctis multum plurimumque debere ſe agnoſcet; agnoſcitque monaſterium de Fecknam in Normannia, vbi cum magna pietate recolitur depoſitio ſancti Botulphi Abbatis & Confeſſoris.

Obijt an 654 vide Petrum Equilin. in Catal. l. 11 c vlt. Vveſtmonaſt. in hiſt. Tho. Vvalſingh. in Ipodigma Neuſt. & Ioh. Stoum. ſub Edgardo j.

qui natus in nostra patria, factusque ibi in gentem magnam fructum retulit in abũdantia, factus est palmes illius vitis abundantis, quæ ramos suos in omnem Regni Franciæ limitem protulerat, annuncians pacem his qui procul, his qui propè, his qui inuij, qui deuij, qui deserti erant à luce veritatis, vel recisi a compage salutis. Agnoscit Rothomagum in basilicis SS. Patricij & Maglorij. Agnoscit Virdunum S. Malculini Hiberni Abbatis celeberrimã memoriã. Vvyon in adiunctis ad l. 3. Baiocensis etiam & Rhemẽsis eundem Apostolum nostrum memoria Ecclesiarum & altarium celebrant; agnoscunt Augenses in thesauro illo pretiosissimo corporis sancti Laurentij Confessoris Archiepiscopi Dublinensis, qui in Concilio Lateranensi sub Alexandro tertio, cum multa proposuisset pro æquiori regimine Hiberniæ, iam paulo antè cæptæ occupari à gente Anglorum: & quædam priuilegia pro eadem obtinuisset repub. Ecclesiastica & ciuili in suspitionem istiusmodi immunitatis impetratæ, in præiudicium sceptri fui vocatus ab Henrico, 2. detentusque in Neustriæ partibus, cum ille multum alla-

In has Lateranensi synodo ex Hibernia interẽrat Laurẽtius Dublinensis. Catholicus Tuamẽsis. Constantinus de Quidalua fortaße melius de Glindalagh. Bricius Lumbuensis, F. Laonensis aut Limbricensis. Augustinus Guatfordensis. Fœlix Lismorensis. Ita Iohanes Picardus in suis Notis ad Neubrigensẽ c. 3. ex Mſ. Victoriano.

boraſſet regis animo placando & cõciliando ordinibus populoque Hiberniæ, & in eam rem operam & ſolertiam adhibuiſſet Dauidis auricularij ſui cordati & prudentis clerici, poſtquam illo redeunte intelligeret factam reconciliationem, pacemque quam petebat, obdormiuit in Domino. Et ab Honorio tertio ad inſtantiam illius cleri Augenſis in numerum ſanctorum relatus eſt, cuius litteras canonizationis ex Regiſtro eiuſdem Pontificis deſcripſeram in bibliotheca Vaticana, annuente ſanctiſſ. D. N. Paulo Papa V. fœliciter nunc gubernante cathedram Petri.

Burgũdia. Nec minoris hoc theſauro pretij eſt alter ille in Claraualle depoſitus: nempe ſanctus Malachias Archiepiſcopus Armacanus ſancti Bernardi cariſſimus amicus, cuius & vitam mellifluo conſcripſit eloquio. Is ob neceſſitatem publicam, & ſignanter ob negotia Eccleſiæ illius nationis, quæ cũ Innocentio 2. PP. tractare debebat, in Galliam aduectus; cum paulo ſeriùs iſthuc adueniſſet, iamq; Pontifex regreſſus eſſet in Italiam, diuertit ad ſanctum Bernardum. Ibi correptus febricula; cucurrit ad mortem ſub noctis crepuſculo appropinquauerat Malachias auroræ. *Imus inquit Bernardus, redimus circa medium noctis, nam eâ hora lux iacere in tenebris nunciatur: impletur domus, adeſt congregatio. Abbates quoque*

multi qui conuenerant Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus prosequimur amicum repatriantem anno ætatis suæ 54. loco & tempore quo prælegit & prædixit Malachias Episcopus Legatus Sedis Apostolicæ infertur oratorio Abbatum humero. Plura qui volet eundem consulat D. Bernardum & mirabilem viri sanctitatem, in vita & morte miraculis coruscantem, stupeat, studeatque imitari quæ legerit.

Sed non satis erat Claramuallem in Burgundia honorari his lucidissimis reliquijs, nisi etiam Auenionem in Occitania deportaretur, vt illam quoque prouinciam tanquam indiuiduus sancti Bernardi comes sua præsentia cohonestaret & luce collustraret. Celebratur Cistercensibus fausta illa sancti Malachiæ translatio 18. Maij. vt videre est in Calendario illius ordinis auctore fratre Angelo Manrique. Occitania.

DE SANCTI COLVMBANI iunioris obitu mirabili.

ET quoniam à S. Columbano exorsi sumus hanc seriem communicationis sanctorum Hiberniæ cum populis & prouincijs Monarchiæ Gallicanæ, claudamus hanc paraphrasin cum alio S. Columbano illius prioris alumno, de quo Ionas in vita

„ alterius profatur in hęc verba. Cum quo-
„ dam tempore in cęnobio Luxouiensi vir
„ Dei commoraretur, accidit vt vnus è fratri-
„ bus nomine & ipse Columbanus, febre
„ correptus, atque in extremis positus fæli-
„ cem postularet exitum. Cumque iam vlti-
„ mo halitu carere vellet, fidens de cęlesti
„ munere, quod longo famulatu quæsierat,
„ vidit ad se virum fulua luce amictum ac-
„ cedere, sibique dicere, Non te modo à
„ corpore ducere possum, quia lachrymis &
„ oratione tui Columbani præpedior. Cum-
„ que hæc Columbanus audisset, mœrēs ac
„ si somno euigilasset, suum ministrū Theo-
„ degisum vocare cœpit. Festina, inquit, per-
„ ge & patrem communem Columbanum
„ ad me venire compelle. Concito ergo gra-
„ du ille venit, ac B. Columbanum in Eccle-
„ sia positum flentem reperit, postulatque
„ vt ad ægrotum festinus accedat. Venit er-
„ go perniciter, & quid vellet interrogauit.
„ Cur me, inquit, tuis orationib⁹ in hac vita
„ ærumnosa detines? Nam adsunt, qui me-
„ ducere volunt, si tuis precibus & fletibus
„ non præpediantur. Retentionis solue ob-
„ stacula, vt mihi iam pateant cælestia regna.
„ Tum metu Columbanus perculsus, signo
„ facto, omnes adesse imperauit, sancti soda-
„ lis amissionem gaudio temperauit; corpus
„ Christi abeunti dedit hac vita viaticum
„ præbet, ac post extrema oscula defunctio-

nis cantus expleuit. Erat enim ex eodem genere quo B. Columbanus, vnoque commeatu & nomine ex Hibernia processerant.

DE SANCTO LVA siue Luano.

SEd & idem Ionas meminit cuiusdam alterius alumni ipsius Columbani quē vocat Luam; refertque iniuria lacessitum à procaci quodam nebulone vno ex custodibus seu Satellitibus à Theodorico rege appositis ad sanctum è Regno eiiciendum: sed Deus suorum protector & auxiliator opportunus noluit illam procacitatē præterire inultam, quam non aliter expiandam decreuit, quàm morte percussoris subitanea.

Non audeo dicere hunc Luam eundem esse cum Luano Benchorensi, de quo sanctus Bernardus in Malachia suo scribit. (Nam & ipse Columbanus filius erat Benchorensis vt Ionas habet.) Locumque asserit Bernardus nobilissimum fuisse: & sub primo patre Congello (qui idem Columbani magister erat) multa millia monachorum generans multorum monasteriorum caput extitit. Locus verè sanctus fæcundusque sanctorum, copiosissi-

„ me fructificans Deo, ita vt vnus ex filijs
„ illius sanctę Congregationis, nomine Lua-
„ nus centum solus monasteriorum funda-
„ tor extitisse feratur. Quod idcirco dixerim
„ vt ex hoc vno conijciat lector, quam in-
„ gens fuerit reliqua multitudo. Hactenus
„ Bernardus.

Ex quibus omnibus huc vsque productis, euidenter elucet magna illa industriæ exantlatio, magna laborum & operarum communicatio, magna animorum coniunctio studiorumque consociatio, quæ inter vtramque nationem olim intercesserat: dum Hiberni à Gallis humaniter suscepti, Galli ab Hibernis vtiliter exculti, vtrique charitatis affectu inter se confœderati, gloriam Dei, salutem populorum, conuersionem infidelium, fidelium ædificationem, virtutis & pietatis cultum: vitiorum exterminium, mutua opera multaque diligentia promouerant.

DE RELIQVIIS SANCTOrum Hibernorum in Gallia: item Conclusio sacræ communicationis inter vtramque nationem.

IAm verò si placet circũspice mihi Galliam ex omni latere insessam istis sanctorum propugnaculis, splendentem trophæis,

phæis, renitentem gemmis, collucentem radiis, condentem in ſinu ſuo ſacrorum corporum tam venerabiles reliquias; circumſpice hoc cęlum terreſtre, hanc calcabilem ſphæram micantem tot lucifluis ſtellis, ſic voco exuuias ſanctorum hominum famulorum Dei, quorum pectora erant ſacraria Spiritus ſancti, linguæ verò organa veritatis, vita, lucerna virtutis, mors verò periodus miſeriæ, & initium lætitiæ nunquam finiendæ. Et quorum ſacros cineres in terra veneramur, eorum animas ſole ſplendidiores cum Chriſto cui ſeruierunt regnantes ſuſpicimus, honoramus, colimus, eorumque opem patrocinij ſuppliciter imploramus, opportunè experimur, gratanter ſuſcipimus.

Hi ſunt illi palmites, hæ ſpatulæ ligni vitę reuireſcẽtis in medio terræ: hi ſtolones, oliuæ, ſurculi ficulneæ, propagines vitis: vaſa paxilli, fæciales pacis, caduceatores fæderis æterni inter Deum & homines, inter cælum & terram, inter Galliam & Hiberniam, inter hanc & illam Hierarchiam, inter vtramque Iordanis ripam arcâ in medio alueo poſitâ, in quam vtrique verſis in ſe vultibus, tanquam in propitiatorium Cherubini, reſpicerent. Ex iſta abyſſo & alueo hos paucos elegi lapides in memoriam communionis tranſeuntium & in titulum iuris, ac neceſſitudinis vtriuſque

populi, tam eorum, qui vltra, quàm qui citra flumen incolunt; Erecti hi pauci ex pluribus titulis renouabunt pristinæ fidei, pristini fœderis, pristinæ coniunctionis recordationem: Alia tamen præterea nobis supersunt horum signacula; Illa quidem purioris, ista verò non impuræ authoramenta societatis: prior obligatio nascebatur ex intimis Christianæ religionis, & disciplinæ visceribus; posterior ex studiorum, & litterarum communione, quas Gallia fouit, Hibernia infudit; vt iam breuiter attingemus.

DE LITTERARIA STVDIOrum communicatione inter Gallos & Hibernos.

MEMBRVM II.

AD Pipini tẽpora perduximus cateruam fidelium operarum, quas Gallia ex Hibernia suppeditatas accepit; quando ipse etiam Pipinus sanctum Vvironem Episcopum, à consilijs & sacris confessionibus ita haberet, ac veluti animæ Antistitem, & salutis suæ curatorem veneraretur, vt non temerè ad eius pedes conscientiam expiaturus accederet, nisi calceamentis in signum reuerentiæ detractis. Sed quia plures fuere Pipini principes, primus de Lan-

dis, ſecundus Herſtallus Caroli Martelli pater, tertius eiuſdem Martelli filius Franciæ Rex, & Caroli Magni Imperatoris pater;

De tribus his Pipinis ità pronunciat Molanus, haud ineptè nũcupari illos non tantùm Patriarchas, ſed etiam Chriſtianiſſimos Europæ patres ac principes: cuius appellationis inter alias, quas aſſignat rationes, vnam quæ nobis maximè notanda eſt, cauſam adiungit, quòd Pipinus primus, eiuſq; progenies, non ſolùm in pietate prę-luxit, ſed paſſim quoque fouit fidei prędicatores, quorum multi, vel ipſo teſte, ex Hibernia erant euocati, & complurium ex illis nomina iam ſuperiùs poſuimus. *In Natalibus die 21. Feb.*

DE PRIMA ERECTIONE Vniuerſitatis Pariſienſis.

NOn erat in pietatis ſtudio maioribus ſuis impar Carolus Pipini tertij filius, ex ſtirpe Francorum primus Imperator occidentis: Is ad zelum religionis addidit incrementum, & ornamentum ſtudiorum generalium, diciturque primus fundator duarum Vniuerſitatum, vnius in Ciſalpina, alterius in Tranſalpina Gallia, id eſt Lutetiæ Parijſis, & Papiæ, ſiue Ticini in Inſubribus. Sed qua id viâ, & modo per-

fecerit non omnes introſpiciunt. Nam quidam vulgò contenti fama circulari de Albino Alchuuino Flacco Anglo, quem lateri Imperatoris adhæſiſſe, atque Acromatis & Anagnoſtæ loco in multis ei ſeruiſſe, quem & Magiſtrum ſuum ac filiorum eruditorem, Pipini & Ludouici, extitiſſe conſtat, altiùs non inquirunt in originem & prima fundamenta erectionis harum Academiarum.

Sed qui cæteris penitius in hac inquiſitione progreſſi ſunt, alios auctores & Doctores producunt diuerſos ab hoc Alchuuino, à quibus initium fundationis & Cathedraticæ inſtitutionis peti oportere affirmant. Certè nouiſſimus editor operũ Albini Flacci Alchuuini Abbatis, vir eruditus Andreas Quercetanus Turonẽſis, qui nihil præterire viſus eſt, quod verè pertineret ad encomiũ Alchuuini, in ſua Præfatione ad eius opera n. xiv. multis perſuadet argumentis illum neutiquam Pariſijs erudiſſe diſcipulos, quanto minus potuerit illic Vniuerſitatem inſtituiſſe? Quod ex eo probat, primò quia vel Pariſiorum vel Lutetiæ nullibi meminit in toto operum ſuorum contextu. Secundò, quod cum in pluribus Galliæ locis fuerit cum Carolo Rege, vt Aquiſgrani apud auctorem vitæ ſancti Ludgeri, aut ſine Carolo, vt in *b* Belgica latitudine, *c* Turonis, in *d* Centulo,

l. 1. c. 34.
b *Epiſt.* 10.
c *Epiſt.* 1. 14. 15. 17.
d *Pro-*

apud sanctum e Amandum & alibi, nunquam tamen docuisse se verbis apertis indicat nisi in palatio Regis, vnde præceptor Palatinus dictus est, vel Cęsaroduni Turonum, de quo legendus est ipse Epist. 1. ad Carolum, & Epist. 15.

log. vi. S. Richarÿ. e Epist. 66. & Epist. 12.

Hoc igitur stabilito, non docuisse Alchuuinum Parisiis, restat indagandum, quisnam ille fuerit, quem primum doctorem, & primarium institutorem omnes debeāt recognoscere. Nam conueniunt eodem tempore sub eodem Rege & Imperatore Carolo, vtramque Vniuersitatem Ticinensem, & Parisiensem fundamenta posuisse.

Antiquus auctor Sangallensis monachus (quem idem Andræas mutilatè citat in proæmialibus testimonijs; cuius & tractatum ex Ms. Bauarico Monacensis Bibliothecæ, in lucem eruerat Henricus Canisius tom. j. Lection. Antiq. ex quo & Pythæus assuit fragmentum legibus Carolinis, & à Iacobo Gretzero allegatur, à Baronio item & alijs) nodum hunc dissoluere omnium optimè videtur l. j. de gestis Caroli Magni. Cuius verba veritatis maiestatem quandam redolentia, proprio ipsius tono subijciemus.

„ Omnipotens Regum dispositor, ordinatorque Regnorum & temporum cum illius admirandæ statuæ pedes ferreos vel

teſtaceos comminuiſſet, in Romanis: alterius non minùs admirabilis ſtatuæ caput aureum, per Illuſtrem Carolum erexit in Francis. Qui cum in occiduis mundi partibus regnare cæpiſſet, & ſtudia litterarum vbique propemodum eſſent in obliuione; contigit duos Scotos de HIBERNIA cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ deuenire, *viros & in ſæcularibus, & in ſacris litteris incomparabiliter eruditos.* Qui cum nihil oſtenderent vænale, ad conuenientes emendi gratia turbas clamare ſolebant. *Si quis ſapientiæ cupidus eſt, veniat ad nos & accipiat eam. Nam vænalis eſt apud nos.* Quam tamen vænalem, ſe habere profeſſi ſunt, quia populum non gratuita, ſed venalia mercari viderunt, vt ſic vel ſapientiæ cum cæteris rebus coëmendis omnes incitarent; vel ſicut ſequentia comprobant, per tale præconium in admirationem verterent & ſtuporem. Denique tandiu clamata ſunt iſta, donec ab admirantibus, vel inſanos illos putantibus, ad aures Karoli Regis, ſemper amatoris & cupidiſſimi ſapientiæ, perlata fuiſſent, qui ſub omni celeritate ad ſuam eos præſentiam euocatos interrogauit, ſi verè, vt ipſa fama comperit, ſapientiam ſecum haberent, Qui *dixerunt, & habemus eam, & in nomine Domini dignè quærentibus dare parati ſumus.* Qui cum inquiſiſſet ab illis, quid

Hibernia propria Scotorum patria inquit, Beda l. j. c. j. hiſt. Angl.

pro ſcientia ipſa peterent; *reſponderunt loca tantùm opportuna & animo ingenioſi; & ſine quibus peregrinatio tranſigi non poteſt alimenta, & quibus tegamur.* Quibus ille perceptis, ingenti gaudio repletus, primùm quidem apud ſe vtrumque paruo tempore tenuit: Poſtea verò cum ad expeditiones bellicas vrgeretur, vnum eorum nomine Clementem in Gallia reſidere præcepit, *cui & pueros nobiliſsimos, mediocres, & infimos ſatis multos commendauit, & eis prout neceſſarium habuerant*, victualia miniſtrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis: Alterum verò nomine Albinum in Italiam direxit, cui & monaſterium ſancti Auguſtini iuxta Ticinenſem vrbem delegauit, vt illuc ad eum qui voluiſſent ad diſcendum congregari potuiſſent. Audito autem Albinus de natione Anglorum, quàm gratanter ſapientes viros, religioſiſſimus Regum Carolus ſuſciperet, conſcenſa naui venit ad eum, &c. Hactenus ille.

F. ingenioſos.

Hinc arguitur erroris G. Buchananus. qui Albinum hũc Pariſios, miſſum vult. l. 5. Rerũ Scotic.

Ex quibus primò euincitur Clementẽ & Albinũ Hibernos, Albino Alchuino Anglo

dictumque Albinum i. Scotum quia Scotiſe Albinos ſua lingua vocant.

* *Ita vocatur à I. Maiori l. 11. c. 13. de Geſt. Scotorum Boet. lib. 10. Polyd. Virg. l. 5. D. Hieronymus Caleſtium vocat Alpinum canem. l. 3. in Ieremiam, forte inquit Vſſerius Alpinus illi nomen: certè cognomen illud non infre-*

quens est in Hibernia. priores ad Carolum venisse, & alterum eorum nempe Albinum (qui nomine quidem * Ioannes, cognomine vero Albinus vel Alpinus dicebatur, cuiusmodi adhuc multi in Hibernia signo addititio cognominantur) in condendam Vniuersitatem Italicam adhibuisse: alterum verò Claudium cognomento Clementem in Gallicanam Vniuersitatem erigendam retinuisse. Hunc Claudium Clementem in vltima senectute, post fundatam ab eo Academiam Parisiensem, creatum Episcopum Antisiodorensem 31. & laudabiliter annis præfuisse 5. mensem vnum & dies 10. obijsse autem ann. 766. die 13. Kalend. Aprilis refert Arnoldus Vvyon, lib. 2. prætermiss. nisi tamen seriùs creatus sit, quam à Demochare ponitur in suo Catalogo Episcoporum Antisiodorensium. *Lib. 2. de sacrificio M.*

Euincitur secundò Hectorem Boetium, Lestæum & similes, qui Albiensi Scotiæ illos adscribunt, falli multum, quum expresse hoc loco dicantur Scoti de Hibernia, erat enim propria Scotorum patria Hibernia, per illa sæcula & multo citeriora vsque ad Pictici regni subuersionem, & infra, id est, ad millesimum Epochæ salutis annum. vt alibi demonstrauimus.

Clemētin. j. de Magist. in 5. q. Clarè autèm vtrumque asseritur à Francisco Zabarella, nempe & de Hibernia venisse, & vtramque Vniuersitatem instituis-

ſe, Clementem quidem Pariſienſem, Iohannem verò Ticinenſem cuius ſententiam obuiis vlnis amplectitur *a* Bartholomæus Chaſſanæus, qui & Rob. Gaguinum *b* pro eadem citat. Et S. *c* Antoninum Florentin. quos conſulat qui voluerit; nam apertè ſtant ab hac parte nominantque vtriuſque Vniuerſitatis conditores, quos diximus.

a 10. *p. Catal.* 32 *Conſider.*
b Chronic. l. 4. *c* 3 *p. hiſt. tit.* 14 *c* 4. *ſ.* 12.
l. 5 *hiſt. Anglic.*

Ex his tolletur etiam indeterminata dubitatio Polydori Virgilij, qui loquens de tempore, quo Carolus Gymnaſium Pariſiis & Ticini primũ collocauit, *fuit is annus,* inquit, 792. *cum duos ferunt monachos ex Hibernia, ſiue ex Scotia, vt quibuſdam placet, in Galliam delatos, ſe ſapientiam venalem habere, magna voce teſtantes, mercedis loco cibaria & veſtiaria duntaxat petiiſſe, & iſtorum alterum, qui Clemens nominabatur, à Carolo Lutetiæ retentum, eique ex omni ordine ciuitatis traditos iuuenes in diſciplinam, alterum verò in Italiam tranſiſſe, ac Ticini docuiſſe:* Qui enim temporis iuſtam ineunt rationem, ſciunt illo ſæculo, diuque poſt, Hiberniam ſynonimos Scotiam vocari, qui autem tempora confundunt, autumantes illa ætate Caroli M. Clementis & Iohannis, quando iſta Gymnaſia inſtituerentur, ſic diſcriminatam fuiſſe diſtinctâ gentium & regnorum nuncupatione, ſicuti modò videmus vtramque patriam & v-

trumque populum discriminari, nimiùm aberrant à scopo veritatis, vt proprio loco euidentibus argumentis & testimoniis optimorum scriptorum euicisse nos existimamus, quod æqui lectoris iudicio stabit.

Concludamus itaque hanc illationem & consequentiam, Vniuersitatem Parisiensem à Carolo dotatam, à Clemente Hiberno institutam, ac primigeniis imbutam disciplinis, characterem indelebilem litterariæ communicationis ab Hibernia receptæ, liberis illis & liberalibus Gallorum mentibus insculpere. Et hanc ordinatam copiosamque studiorum sementem, non cessaruntilli annis & regnis insequentibus irrigare.

DE CONTINVATIONE studiorum & litterarum per Hibernos in Gallia.

VNde Carolo Caluo regnante, & prosequente eandem studiorum curam, quam auita hæreditate à Carolo M. relictam, fouebat; numerosa philosophorum agmina ex Hibernia ventitabant, qui messem excolerent, & succrescentem litterarum frugem docta manu educarent.

De his est illustre testimonium Erici Antisiodorensis monachi ad eundem Ca-

rolum Imperatorem in Epiſtola nuncupatoria, quam præmiſit vitæ ſancti Germani.

Multa ſunt tuæ monumenta clementiæ, multa ſymbola pietatis. Illud maximè tibi parat æternam memoriam, quod famoſiſsimi aui tui Caroli ſtudium erga immortales diſciplinas, non modò ex æquo repræſentas, verùm etiam incorporali feruore tranſcendis, dum quod ille ſopitis duxit cineribus, tu fomento multiplici, tum beneficiorum tum auctoritatis, vſquequaq; prouehis. Ne enim noſtra inertia, quæ ſua ſponte complectitur cæcitatem, velum ſibi excuſationis de ignorantia obduceret, neuè de præceptorum inopia cauſaretur, id tibi ſingulare ſtudium effeciſti, vt ſicubi terrarum magiſtri florerent artium, quarum principalem operam philoſophis pollicetur, hos ad publicam eruditionem, vndecunque tua celſitudo conduceret, comitas attraheret, dapſilitas prouocaret. Luget hoc Græcia nouis inuidiæ aculeis laceſsita, quam ſui quondam incolæ cum Aſianis opibus aſpernabantur, tua potius magnanimitate delectati, ſtudijs allecti, liberaliter confiſi. Dolet inquam ſe olim ſingulariter " mirabilem, & mirabiliter ſingularem à " ſuis deſtitui. Dolet certè ſua illa priuilegia, " quod nunquam hactenus verita eſt, ad cli- " mata noſtra transferri. "

Quid Hiberniam memorem contempto pelagi diſcrimine, pœne totam cum grege Philoſophorum ad littora noſtra migrantem? quorum

*quisquis peritior est, vltrò sibi indicit exitium, vt Salomoni sapientissimo famuletur ad * votum. Itaque Cæsar inuictissime pœne est, vt vniuersus orbis in te statuat controuersias, nouis aduersum te declamationibus inuehatur, qui dum te, tuosque ornamentis sapientiæ illustrare contendis, cunctarum fere gentium scholas & studia sustulisti. Sublatis enim præceptoribus, confine & consequens est, facile omnium ingenia congelasse. Ita namque spretis cæteris, in eam mundi partem, quam tua potestas complectitur, vniuersa optimarum artium studia confluxerunt, vt verisimile habeam; iamdudum eas humanæ inertiæ perosas, terris penitus excessisse, nisi tuæ integritatis amplitudine tenerentur, in qua etiam vnicum suæ professionis culmen, ac fastigium mirabiliter collocarunt. Hinc est quòd cum sit perantiqua sententia, silent leges inter arma, hæ tamē tam belli quam pacis tempore, apud te plurimùm semper obtineant dignitatis: ita vt meritò vocitetur schola Palatium, cuius apex non minùs scholaribus quā militaribus consuescit disciplinis. Quidquid igitur litteræ possunt, quidquid assequuntur ingenia, tibi debent,* hęc ille.

* nutū.

In qua tam luculenta laude Caroli euocantis & allicientis doctos & litteratos, continetur quoq; non infima laus eorum, qui eius inuitatu & comitate exciti accesserunt greges, & examina philosophorum Hiberniæ; qui non inuidi communicabant

quæ ſine inuidia perceperant eruditionis monilia. Nam ſi doctorum ſuſceptor vir iuſtus, ſicut ſpendor firmamenti fulget, etiam ſuſcepti qui ad iuſtitiam, pietatem, & virtutem multos erudiunt, tanquàm ſtellæ in perpetuas æternitates relucebunt. Si palatium Regis tanquam Gymnaſium erat ſcholaſticis velitationibus reboãs, & litteraria exercitatione redundans; quanto magis ipſum Gymnaſium diſciplinæ & doctrinæ domicilium? ſi aula principis puluere gymnico reſperſa & ſudore auſcultatoris exudans doctis acroamatis reſonabat, quid fuiſſe putabimus de Lycæis Doctorum, ſacrariis monachorum, Muſarum & Charitum receptaculis? Monaſteria intelligo regularium, & Eccleſiarum Archiua, qualia cum cęteris numerari poſſunt Orbacenſe clauſtrum, in quo Gotheſcalcus & Rathramnus noſtri ſumma ingenia, & ſublimioris Theologię portenta: Antiſiodorenſis in qua noſter Academicus Claudius curſum conſummauit, & fidem ſeruauit: Engoliſmenſis in qua Helias pręſul ex eadem noſtra natione claruit. Vt omittam Iohannem Erigenam noſtrũ, qui in Franciam tranſierat ad eundem Carolum Caluum, & inde prolectus munificentia Alfredi regis in Angliam conceſſit: eiuſque

Hincmarus in chronico Rhemẽſi.

Ademarus Engoliſmẽſis in vita Ludouici Pij Neubrigenſ. l. 2. c. 4. vide Herodem. 3 p. f. 240.

opera Rex multum vſus eſt ad reſtauranda ſtudia, quæ fere per totam Angliam propter Danorum tyrannidem interciderant, de quo ſignanter ſcribit Pitſeus anno 888: ætate decima Alfredum miſiſſe hunc Doctorem Oxonium, & iuſſiſſe, vt Academia iam reſtituta, omnium primus ibi bonas litteras doceret. De eodem ſcribit Nicolaus 1. PP. ad præfatum Carolum Caluum, quod opus Dionyſij Areopagitæ, quod de diuinis nominibus & de cęleſtibus ordinibus, Gręco deſcripſit elogio quidam vir Iohannes natione Scotus, nuper tranſtulit in Latinum quod noſtro, inquit, iudicio debuit, approbari, præſertim cum idem Iohannes licet multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſanè ſapere in quibuſdam dicebatur. Ita quidam Florus (obſcurus ęmulus) de illo ſparſerat, rumores, qui & eius ſcripta deprauando damnauerat, inquit Vveſtmonaſterienſis. Sed Trithemius eum pro martyre habet, de quo etiam ita cecinit Guil. Malmesburienſis.

Io. Pitſeus Relationũ historic. tom. j. Erigena dictus quaſi genitus in Erin ſiue Ierniã vñ Hibernicè Erin. idem eſt quod Hibernia.

Clauditur hoc tumulo ſanctus Sophiſta Ioannes.
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro;
Martyrij tãdem Chriſti conſcendere Regnũ,
Quo meruit ſancti regnãt per ſæcula cuncti.

De Lamfranci in eum cenſura & Concilij Vercellenſis ſententia, forſitan non in perſonam, ſed in deprauatum ab æmulo tra-

ctatum competit. Ego cum [a] Andrea Duuallio Doctore Sorbonico, cui suspectum est [b] Genebrardi additamentem de causa martyrij, nullo teste vel auctore munitum, lectoris prudentiæ omnia discutienda relinquo.

Sed quod maximè facit ad rem præsentem, Matthæus Vvestm. asserit eundem Iohannem, virum perspicacis ingenij & facundiæ singularis dudum, relicta patria ad partes Gallicanas transeuntem, Carolum Caluum adiisse, atque in magna ab eo dignatione susceptum, indiuiduum comitem ei fuisse mensæ & cubiculi, & rogatu eiusdem Regis Hierarchiam Dionysij Areopagitæ de Græco in Latinum transtulit, & alium librum de naturæ diuisione intitulauit, quem esse vtilissimum ait ad varias quæstiones ferè insolubiles, enodandandas. Si tamen in quibusdam ignoscatur in quibus à Latinorum tramite deuiauit, cum in Græcos acriter oculos intendit. Hæc ille.

De eodem Erigena quasi Hibernigena sic dicto, quem vocat Abbatem Vercellensem Trithemius, & claruisse sub Lothario imperatore & Lodouico ac Carolo fratribus asserit, virum excellentis ingenij, Græca & Latina eruditum lingua testatur. Et alibi virum doctum, ac religiosæ conuersationis appellat, & *confossum graphijs*

a Notis ad lib. Lugdu. tom. 2. Auctarij Bibliot. SS. PP.

b In liturgia. Dionisij Areop. Gallico idiomate quasi ob errorem sacramentarium graphijs puerorum confixus esset.

περὶ φύσεος μερισμοῦ.

Anno 850.

Cap. 46.

Cap. 22.

puerorum, quos docuit nescio quo instigante, multis claruisse signis. verba sunt Trithemij; & se legisse ait in quadã scriptura factum illum Episcopũ Mekelburgensem sub Bremensi, eiusque Natalem coli 4. Idus Nouembris, vixisse sub Carolo, sed ei tamen superuixisse; quam opinionem præfert illi alteri, qua statuitur sub Henrico 4. claruisse anno 1060. Nisi forte (inquit ille) duo fuissent, vno martyrij genere diuersis temporibus interempti.

Hunc igitur tam doctum tam religiosum tam sanctæ conuersationis, vt anniuersario festo coleretur, & martyrũ numero publicè haberetur, si quos errores vel voce vel scripto protulit, non ex animi peruersitate, aut obstinata pertinacitate, sed ex humanę fragilitatis caligine non spontanea, videri posset hallucinatus. De quo aliorum esto iudicium, qui eius opuscula legerint. Nam nec illa, quæ dixi, videre mihi contigit, nec alia, quę ab alijs assignantur eius opera nempe.

In Moralia Aristotelis l. 9. & sic incipit Non reliqui locum nec templum.

Super Canones Azachelis l. 1. De canonibus Asrachelis tract.

Ad Carolum Regem l. 1. Valde qui dem admiranda.

Versus diuersi generis l. 1. Lumina sydereo recitans.

Quæ

Quæ optarem in lucẽ erui, & à blattis vindicari ex aliqua vetusta bibliotheca sicubi delitescunt.

Ista cum alijs condita esse possunt in puluerulento aliquo pluteo; vel tineoso subsellio: quæ in publicum emissa, & auctores queant & editores illustrare.

Sed de re quam nunc agimus, & de luce quam rebus & Regnis Gallicanis olim inuexerant Hiberni, eorumque princeps, quem posuimus primum erectorem Parisinæ Vniuersitatis, sufficiat clarum testimonium Lupoldi Beberburgij l. de zelo veterum principum Germaniæ, qui floruit circa annum 1340. sub Ludouico 4. Imperatore. *Gallici*, inquit, *æquari possunt Romanis & Atheniensibus per operam CLEMENTIS HIBERNI*. Hæc ille. *Idem habet specul. histor. l. 23 c. 173*

Cesset igitur operosa indago Andreæ Quercetani de Athene Gallica, alibi quam Parisijs stabilienda. Si iam Clementis opera æquati sunt Galli Romanis, & Atheniensibus; Mallet ille certè suam patriam Turonensem à Carolo nobilitatam, quàm Imperij arcem Lutetiam. Et ideo dubitanter ait, *Fortè in facundissima Parisiorum Lutetia perfecta fuit vrbium Gallicarum Athene, ad quam Carolus Rex studium de vrbe Roma transtulisse, quod de Græcia illuc translatum fuerat à Romanis, in Magno Chronico Belgico legitur*. Quod sic transtulisse intelligendum *M. Chr. Belg. ad An. 77.*

est. Non vt ipsum studium vrbi Romæ auferret, sed modũ & solennitatem, quæ in vrbe seruabatur, translatis inde Parisios Doctoribus, & Magistris; instaurauit & priuilegiis confirmauit.

Non vtique primo omnium Doctore & erectore, is enim erat ex Hibernia Claudius Clemens: sed illo cum suo comite Iohanne Albino, quem Ticinum destinauit, lautè & liberaliter habitis, subsidiarios aliunde acciuit; & siue fama excitus, siue Caroli vocatu ex Anglia adueniens Alchuuinus, laterique eius plerumque adhærẽs (ab eleemosynis & consilio si Balęo credimus) & ex vrbe Roma aduolarunt alij, qui Romanam docendi methodũ intulerunt, etiã opitulatoriam seu vicariam præstiterunt operam, primo fundatori Claudio vt diximus.

Cæterùm ne Claudio tribuatur nouæ Athenes inductio, quã soli Alchuuino suo adscribi contendit Andreas, hinc penitus ille abiudicat ex èo totam Athenen vrbi Parisiorum, quòd nullum reperiat vestigium vnde appareat Alchuuinum ibi versatum, cuius nec limen vnquam attigerit, ac Cæsarodunum suum trahit eam, obtorta licet gula, contra fidem Chronici Belgici & aliorum à se citatorum; H. [a] Pantaleonis, [b] G. Buchanani. [c] I. Balæi infamis memoriæ scriptorum, sed & notæ

a De viris Illust. Germ. p. 11. in Carolo M.

b L. 6 Rerum Scoticarum in Achaio

c Centuria 11.

probatioris Polydori Virgilij, quibus addas S. Antoninum, Zabarellam. Robertum Gaguinum, Bartholomæum Chassaneum, de quibus superius egimus hoc eodem membro 2. n. 10.

Scriptorum Britannia. Buchananus dicit Scotos & Albinos sua lingua vocari idemque valere Scotum & Albinũ.

Ipse verò Alchuuinus æquior est editore suo in admittenda laude Hibernorum quos passim & stricta & soluta oratione multum extollit ab eruditione & sanctitate: vnde lib. 2. de vita sancti Vuillibrordi Archiepiscopi Traiectini, quem Hibernia excoluit, ita loquitur.

Venerat occiduis quidam de finibus orbis
Vir virtute potens, diuino plenus amore,
Ore sagax, & mente vigil, & feruidus actu
Ad te temporibus Pippini, Francia fœlix,
Quem tibi iam genuit fœcunda Britannia mater.
Doctaque nutriuit, studijs sed HIBERNIA *sacris,*
Nomine VVillibrordus meritis viuacibus almus, &c.

Deinde in Elegia de sancto Vvilgiso parente sancti Vvillibrordi, de eodem ita canit.

Nobilis iste fuit, magna de gente sacerdos;
Sed magnis multò nobilior meritis.
Vt dudum cecini, fœcunda Britannia mater,
Patria Scottorum clara magistra fuit.
Francia sed fœlix rapuit, veneratur, habebat
Illius, atque hodie membra sepulta tenet.

Dum poëta dicit se dudum cecinisse de loco originis & educationis sancti Vvillibrordi, alludit ad hexametrum illud à nobis iam proximè allatum, in quo disertè asseritur, & in Britannia natum, & in Hibernia educatum. Vnde cum hoc loco ait patriam Scottorum ei magistram fuisse pro synonymis accipit vtrumque quod ex S. Beda quoque manifeste conuincitur: dicit enim Hiberniam propriam Scottorum patriam esse.

Vide Th. Bozium l. 8. de signis Ecclesiæ c. 1. vbi Scotiam pro Hibernia passim sumptã notat & ex Claudiano, Orosio, Isidoro, & alijs notissimũ est.

Quo bene obseruato facile erit intelligere, quo sensu apud nonnullos scriptores, Hiberni vocentur Scoti: atque apud eundem hunc Alchuuinum alibi non solùm Columbanus, Congallus, Adomnanus, quos constat ex Beda, Iona, Bernardo & alijs, Hibernos fuisse, sed & sanctam quoque Brigidam nostram, vnde in poëmatis ex Bibliotheca S. Bertini recenter in lucem datis ita scribit Alchuuinus poëmat. 247.

Virginibus sacris præsẽs hæc ara dicata est,
Quarum clara fuit Scottorũ vita per vrbes;
Brigida sancta fœmina Christo simul Ita fidelis
*Hæc nobis *salutem suffragia sancta ministret.*

** f. saltem.*

Et ibidem superius poëmate 246.

Patricius, Cheranus Scottorum gloria gentis,
Atque Columbanus, Congallus, Adomnanus atque

Præclari patres, morum vitæque magistri,
Hic pietas precibus horum nos adiuuet omnes.

Atque vt dilucidiùs constet Alchuuinum siue poëtam agat, siue oratorem, per Scottorum patriam nihil aliud velle, quàm Hiberniam, consulendus est ipe in prosaica sancti Vvillibrordi vita, capite 4. vbi & locum indigitat institutionis, & celebritatem institutorum commendat; quod vtrumque in laudem Hiberniæ cedit, & in probationem litterariæ communionis, atque in Franciam exinde communicationis.

“ In sacris, *inquit*, eruditionibus & in om-
“ ni sobrietate, morumque honestate bea-
“ tissimo (Vvillibrordo) vsq; ad vicesimum
“ ætatis suæ annum, adolescente, proficien-
“ te, arctioris vitæ ardore succensus, & pere-
“ grinationis amore instigatus; & *quia in*
“ *Hibernia, scholasticam eruditionem viguisse*
“ *audiuit*, quorumdam Sanctorum virorum,
“ fama narrante, conuersatione incitatus,
“ & præcipuè beatissimi patris & Episcopi **Egbertus Hiberniæ**
“ Egberti, qui cognomento sanctus voca- **alumn⁹**
“ batur, necnon & Vvicberti venerabilis vi- ***vide Bedam l. 3.***
“ ri & Sacerdotis Dei, quorum vterque ob ***c. 27. & l.***
“ cœlestis patriæ amorem, domo patria, co- ***c. 3. & l. 5. c. 10***
“ gnationeq; relicta in Hiberniam secessit,
“ ibique dulcissimos supernę contemplatio-
“ nis fructus, seculo nudus, Deo plenus

vbi Vvicbertus dicitur doctrina sciẽtia insignis, & ratio additur: Nã multos annos in Hibernia peregrinus anachoreticã in magna perfectione vitam egerat.

solitaria quotidie hauriebat cõuersatione. Horum beatus adolescens æmulari cupiens religionem, cum conniuentia sui Abbatis & fratrum in *Hiberniam* veloci cursu conscendit, prædictorum patrum se familiaritati coniungens; quatenus, ceu prudentissima apis, ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores, & in sui pectoris alueario dulcissimos virtutum fauos construeret: Ibique duodecim annis, inter eximios simul piæ religionis & sacræ lectionis Magistros, futurus multorum populorum prædicator erudiebatur, donec occurreret in virum perfectum, & in ætatem plenitudinis Christi.

Deinde quibusdam interiectis, prosequitur eius zelum; & qualiter ei visum est Franciam contendere, ac Ducem illorum adire Pipinum, virum strenuum, triumphis clarum, & moribus probum.

Qui eum cum honore suscipiens, sed nolens tanto Doctore se vel suam priuare gentem, loca ei opportuna intra terminos regni sui prouidit, quo potuisset idololatriç spinas extirpare, & purissima verbi Dei semina, per munda noualia abundantiùs spargere. Qua verò id ratione & assiduitate perfecerit, latius & enucleatiùs edisserit.

Multa præterea documenta occurrunt huius quam inuestigamus communionis

inter Franciam & Hiberniam; de Sedulio nostro Hiberniensi (Scotorum Archiepiscopi Hildeberti discipulo) sic enim à Iohanne Sichardo rectè appellatur, qui eius Commentarium in Epistolas Paulinas primus edidit ex Fuldensi venerādæ vetustatis exemplari: Trithemius affirmat amore discendi venisse illum in Franciam: deinde Italiam perlustrâsse, & Asiam, postremò Achaiæ finibus excedentem, in vrbe Roma mirabili doctrina clarum effulsisse.

Et ne prætereamus insalutatum sanctum Patricium in hac communionis serie: Ille non immemor suæ institutionis in Gallia, sub disciplina sancti Germani, factus *iam Hiberniæ Apostolus*, Olcanum, *sic in baptismo vocatū ab eo, ob dolorem quem sustinuit, tempore acceptabili tradidit litteris, imbuendum. Qui grandiusculus effectus* (Iocelinum audis) *discēdi auiditate Gallias adijt, ibique diutiùs degens, multæ litteraturæ scientiam adeptus repatriauit: repatriatus scholas erexit, innumeros discipulos, quorum plures Episcopi sancti fuerunt, erudiendos, in litteraturæ copiam prouexit. Ipse verò Doctor egregius Episcopalem gradum ascendit, in sanctitate multa vitam terminans.* c. 87 in vita S. Patricij

Ecce quales olim præceptores Hibernia sortita fuerat: Heu nobis, quorum funesti dies, cum lachrymis testari possunt teterrimam declinationem & recessum om-

nium, qui contingere potuerunt deterrimum, ab illa integritate & puritate doctrinæ, quæ tradi & percipi ſolebat in noſtra natione, à noſtris pariter, & ab exteris eò pridem commeantibus, tanquam ad emporium omnis pietatis & eruditionis. Sed nunc eò deuentum eſt, vt piacularis ſit omnis illa profeſſio; & mulctis atque carceribus obnoxij, qui vel contra nouella dogmata, contra placita Caluini turgida, & Orgiorum eius Liturgica hiſcere auderent, vel ab ijs frequentandis deſciſcere: Quod qui facere præſumerent, comperiendos, anquirendos, pœnis ſanctionalibus plectẽdos eſſe, nuper inſtabant, & perſtãt etiamnum in iuridicis circuitionibus hi, qui publico iudicio præſunt modò, & imminent ſtatutorum, legumque executioni ſollicitandæ, iuſticiarij, itinerantes & alij ex Anglia.

Ante hanc degnerem rerum, & temporum conuerſionem, florente adhuc Hibernia, quam multis ex Anglia nutrix, & ad pietatem ac doctrinam manuductrix fuerit; quàm multos in Angliam triarios & ſubſidiarios, genti adhuc feræ cicurandæ & infideli erudiendæ, immiſerit; ex veteribus & modernis ſcriptoribus illius nationis eluceſcit: inclinante verò Hibernia, & Nouatorum illuuie cõſpurcata, ſanctionibus contra orthodoxos tametſi editis,

Beda paßim in Hiſt. Malmeſburienſis Archidiaconus Huntington,

nondum tamen executioni ſic demãdatis, vt noſtris diebus vrgeri has videmus, cum ſæuiret apud Anglos Catholicos perſecutio, dominantibus ibidem ſub Elizabetha, Guilielmo Cæcilio, Franciſco Vvalſinghamo, & alijs noſtræ profeſſionis hoſtibus acerrimis, multis ex illa natione vel profugis erat aſylum, vel portus naufragabundis; inquè ſuas legiones admiſit hos rorarios & ferentarios, obeundis omnibus munijs, quibus nunc meliore fauente ſydere, funguntur noſtrates Seminariorum alumni; Atque in ipſo intercalari vtriuſque miſſionis interuallo, quando necdum maturuerat noſtra operariorum copia, & meſſis ipſa adhuc in herbâ eſſet, oborta Deſmonici belli fæda tempeſtate, linum & hordeum læſum eſt. Eò quòd hordeum eſſet virens, & linum iam folliculos germinaret: triticum autem & far non ſunt læſa, eo quòd ſerotina erant. In hanc calamitatem ſi caſu vel conſilio præcipitauit ad mortem, quam vel formidauit vt horrendam, vel optauit vt ſibi honorificam Nicolaus Sanderus, vir magnus ingenio, eruditione & zelo, ſi ſecundum ſcientiam proprio marte acquiſitam, certè non ſecundum præſcientiam & voluntatem decreti efficacis beneplaciti Dei, in negotio illo quod promouere nitebatur de expeditione Hibernica: Cuius cum eſſet quaſi

Houedẽ Camdenus: Chronograph.

Exod 9. verſ 31.

antesignanus Th: Stuckleius Anglus, homo proiectæ audaciæ, profligator & insignis veterator (si domesticis testibus credimus) qui tādem solutioris vitæ fabulam, si aberat perfidia, catastrophe forsitan non dedecorosa conclusit in Mauritania: si malis ille consilijs, vanisuè pollicitationibus lactauit virum præclarum, pacisque studijs quàm armorum fragori aptiorem; vt in medios fluctus irrueret, à quibus & absorptus est: non deberet vnius hominis dispendium, totius alicuius nationis vilipendio compensari.

Cādenus in Elizabetha, & in Chorographia Britān.

Ac proinde maiorem grauitatem & prudentiam requirendam multi putant in Iohanne Pitseo Authore historicarum Relationum de rebus Anglicis, qui tametsi ex sorore nepos Nicolai Sanderi; meliùs abstinuisset ab omni luctu de auunculo amisso, quàm ita deploraret eius amissionem, vt & insurgeret in sedem Apostolicam, eiusque summum Pontificem, virum celeberrimæ pietatis; & in vniuersam nationem Hibernicam nullo suo merito insolesceret: hanc quidem spernens, illum redarguens, vtrique iniustè iratus; neque suam inde exonerat culpam, sed magis accumulat iniuriam, quod non ipse solus, sed cum ipso quidam Doctores & primarij viri, (eâdem vtique farina referti) ex Anglicana gente, sic deplorârint hanc

Anno 1580. n. 1025. Liber est excusus Parisiis: anno 1619.

Sanderi mortem, vt de missione eius in Hiberniam, dolenter conquesti, his verbis ausi sint vti. *Ad quid summus Pontifex Sanderũ nostrũ mittit in Hiberniã? pluris facimus nos nostrũ Sanderũ quàm totã Hiberniã.* De missione illa, quatenus à Stuclæo vano ostentatore prostimulata, vti nec irrogo illi iniuriam si perfidum ganeonem dixero, ita nec deprecor eius culpam, si deperditis rebus suis resarciendis, vt penitiùs irreperet mentibus piè affectis, laruam imposuit, & vana spe lactauit à se in errorem inductos: quatenus autem missio profecta est à pietatis zelo instaurandæ Catholicæ religionis in Hibernia, quam Anglicana ibidem natio velis equisque ibat exterminatum, si quispiam talis, ex se proficisci paratus, & in eo promptus omnem laborem, industriam omnem ponere, vt " sectariorum errores confutaret, hæreticos " confunderet, veritatem Catholicam ex- " plicaret, propugnaret, defenderet, & ho- " norem matris Ecclesiæ per omnia tutum, " saluum, illęsum conseruaret, quisquis ille ", esset, qui se illi discrimini lubens offerret, si honestaretur voluntaria eius profectio honorifico Nuncij Apostolici titulo, & nũmi ad itineris expensas suppeditarentur, quisquis hoc faceret, an tibi iniuriam intulisse, an potius beneficium præstitisse cẽseretur? An qui extorribus pro fide Catho-

licis iuuenibus Anglis domicilium, ſumptuſque prębet: vt litteris & pietate imbuti repatrient, animas ſuas pro ſalute popularium ſponte expoſituri, & ad itineris moleſtiam leuandam concedat facultates ſpiritales, & viaticum largiatur: malè meruiſſe de iuuentute illa, vel de ipſa natione videbitur? Non opinor id dixerit vel Pitſeus auctor Relationum, vel earum editor quiſquis ille fuerit. Vtrumque hoc ſi Gregorius xiii. PP. zelo religionis fecit, non eſt quod illi Doctores, aut viri primarij, de eo tam dolenter conquerantur.

Sed quamuis tantus vir Sanderus fuerit: tanti tamen nec ipſe nec eius nepos Pitſeus erat, vt cum tota Hibernia debuerit vnquam comparari: idque ſiue priſcum ſiue præſentē eius ſtatum velimus intueri, ſiue ipſum illud tempus, quo Sanderus iſthuc appulerat; Nam vt de præſenti nihil dicatur, in quo plurimi ſunt ex illa natione, illi & Pitſeo non impares eruditione, ſed & vtroque multo eminentiores honore & dignitate, ſi Nunciaturam (de qua nobis nihil conſtat) amoueris: illud certum eſt quo tempore Sanderus aduenerat claruiſſe doctos ac venerandos Antiſtites ex ipſa natione, qui partim clariſſimo teſtimonio conſignarunt, partim martyrio ſigillarunt confeſſionem Catholicę veritatis. Richardus Creuæus Archie-

piſcopus Ardmachanus: Dermicius Hurlæus, Archiepiſcopus Caſſellienſis, Edmundus Taunerus Epiſcopus Corcagenſis, vt alios multos prætercam, de quibus, qui voluerit certiorem notitiam capere, de conſtantia, virtute, eruditione eorum conſulat tertiam partem Analectorum de rebus Hiberniæ.

Iam ad anteriora tempora ſi oculos reuoluamus, nulla magis ſubſiſtet comparatio, quàm ſi ad iubar ſolis meridiani, lucernam ſcintillantem in tenebris conferamus.

Quod igitur ſanctè affirmauit Pitſeo pius & grauis (ipſo teſte) Sacerdos Guilhelmus Sladius, de querimonia illa quam dixi quorundam Doctorum aduerſus Gregorium xiii. vtrùm ſanctitatem, pietatem, vel grauitatem ſapiat, aliorum iudicio relinquatur, non quòd ego vel minimum derogatum velim de exiſtimatione, & dignitate Sanderi, quem ſcio excelluiſſe multis ingenii, & doctrinæ dotibus, ſed quòd impar ſit, qui cum vniuerſa aliqua Chriſtiana, Catholica, benè inſtituta natione deſcendat in certamen, & quaſi licitatione pretij ſubiiciatur voci præconis: Ac proinde quiſquis ſeriò inſtitueret eandem comparationem, à charitate Dei & proximi longè abſcedere & præpoſtero iudicio duci videretur.

Certè si superstes esset ipse auunculus, nullã habiturum nepoti gratiam existimo, qui tam iniquam & puerilẽ comparationẽ posteris tradendo approbaret, quando ipse si mille haberet animas, bis mille talenta eruditionis & doctrinę vltra mensuram à Deo reapse concessam, & hæc omnia libenter expensurus, & illas profusurus creditur pro salute vnius Hiberniæ: Idque duplici intuitu facturum arbitror, tum communi charitatis Christianæ, ad imitationem aliqualem Christi Domini, *qui sic vnumquemque quasi solum curat, sic omnes quasi singulos*, tum proprio nexu & obligatione quasi gentilitia, vt cum Hibernica natio demergatur in barathrum schismatis & errorum, protrudentibus Anglis; aliquod emergendi leuamen itidem ab Anglis nasceretur.

Augustin. l. 3. Confess. c. 11.

Sed quid mirum si iniquiores sentiat Hibernia aduersarios, quando ipsos domesticos fidei Anglos minus æquos æstimatores experiatur? De his iam patet ex Pitsei programmate, quod inscriptum est distincto charactere, vt faciliùs in oculos incurrat inter alias eius relationes; De illis verò, qui palam nobis aduersantur, res est euidens ex vsu & praxi quotidiana, & oneribus illis grauissimis, exactionum, inquisitionum, exauctorationum, confiscationum, carcerum & similium, quæ à multis

annis ſuſtinuerunt ab Anglis Hiberni orthodoxi.

Cæterùm prætermiſſis aliis, lubet hic ſubiicere præmonita vnius ex primariis iudicibus Anglis, quæ in poſtremo circuitu trimeſtri detulit iuratis quæſitoribus (autumno iam proximè elapſo) currentis adhuc anni 1619 ſecundum computum Anglicanum: quũ nobis inchoatus ſit ſecundum ſtylum Romanum, annus 1620. Atque ea hoc loco autumaui, non parerga fore, quandò & de religione, & de litteraria inſtitutione tractamus. Ita concionem ſuam ille exorſus eſt in conuentu quodam forenſi, in hæc verba. *Eodem quo editus eſt Pitſeus anno.*

PRAEMONITA PRIMARII Iudicis contra Catholicos in Hibernia, & de monaſticis occupationibus.

EX diplomate Regio nunc in hac Curia perlecto, manifeſtum eſt quorſum & ob quid conuentus iſte celebratur: nempe vt ſacrum opus iuſtitiæ adminiſtretur: tranſgreſſores puniantur, ius ſuum cuique tribuatur, nemini iniuria fiat. Huc nos accedere debemus magno zelo & ſtudio, Deum ipſum imitantes. Quippe Iehoua odit iniquitatem, amat iuſti-

Grand Iury. *y of triall.*

Enorme contra Deum facinus cēsetur hoc tempore professio Catholicæ religionis clancularia in Hibernia.

tiam. Et in hac re procedendum est iuxta normam veritatis. Ac proinde vestri muneris erit, qui de factis vniuersis inquiritis, veritatem inuestigare: vos autem qui de facientibus pronunciare debetis, ipsam veritatem explorare, & re explorata reum vel purgare, vel damnare ex amusse veritatis oportet: quia negotium iustitiæ negotium est veritatis. Idcirco facienda est inquisitio omnium enormitatum & facinorum, contra Deum, contra Regem, contra bonum publicum & patriam.

Loquitur de Caluinistica cœna, & concionibus Protestantiū.

Primo autem loco circa ea quæ pertinent ad cultum Dei, quædam extat lex, quæ nunc vetusta est, (proh nouam & pudendam & veteratoriam vetustatem) *condita regnante Elizabetha; pro vniformitate religionis* (proh deformitatem) *in hoc regno, pro officio Ecclesiastico, & liturgico ritu atque administratione sacramentorum,* (proh viciſſitudinem vitiorū inundantium, & rituum irritantiū Deum excelſum.) *Si quis itaque verbo, vel opere; scripto vel argumentatione detrahat, deroget ve eidem officio, sic statuto & stabilito; vel si quis sic detrahentem aut derogantem, lare, foco, hospitio recipiat, foueat, subleuet; pœnam legis incurrit primo, secundo aut tertio gradu illius statuti, prout ipsius tenore & li-*

vide 2. p. Analectorum obser. 24. vtrumque Actum siue statutum de vniformitate religionis & iuramento Primatus. Primus gradus est pœna centum 2°. cccc. marcharum 3°. confiscatio bonorum omnium & carcer perpetuus.

mite

mite exprimitur. Porrò inquirere debetis in omnes illos, siue Papistas siue Anabaptistas, siue alios cuiuscumque sectæ, qui contemptu vel negligentia non se recipiunt ad diuina audienda (nempe officium Caluiniticum) *singulis diebus dominicis, & alijs festis, diuino cultui destinatis. Sancitum est etiam eadem lege seu statuto contra intumescentem & vsurpatam Sedis Romanæ auctoritatem, & contra quoscumque eam tuentes, extollentes, defendentes verbo aut facto: quandoquidem illa vsurpata & adscititia auctoritas, vnica obex est propagationis Euangelij, & incrementi veræ religionis in hoc Regno. Inter alios illius propugnatores, vna est periculosissima secta Iesuitarum, affirmantium quòd per eandem vsurpatam auctoritatem, Reges abdicari Regnis, & vita etiam deijci possunt. De his & alijs Regicidis inquiretis, quos omnes nobis præsentabitis. Est & alia saluberrima lex, quæ de præceptoribus & ludimagistris agit: ea verò plurimũ conducit rectæ religioni promouendæ. Cum sit certum, quamcumque educationem, qua iuuentus à teneris annis imbuitur, quamcumque religionem imbiberit per reliquam vitam, non facilè recessuram, quin potius radicibus profundè missis, fixè plerumque remansuram. Propterea quisquis præsumpserit pueros docere, scholam aperire, aut præceptoris officio fungi, qui non fuerit approbatus & constitutus ab Episcopo loci, inquirendus, præsentandus & pu-*

Nec approbantur ab Episcopis præt. eorum nisi qui seruiũt tempori & prostituunt consciẽtiam.

niendus erit vigore huius statuti, &c.

Hæc ante biduum mihi tradita, cum repente ista scribenti in mentem manusque venissent, lectori meo communicare omnia volui, vt festinantem me ad tertium membrum huius secundæ partis si cui libuerit percunctari, vnde acciderit iste miserabilis casus, & nationis nostræ occasus mirabilis à pristina celebritate & fama, quidve remoretur ab Anastasi & resurrectione ad amissum splendorem recuperandum, vno verbo respondeatur, vnum ex præcipuis impedimentis & remoris, esse hanc dissonantiam, & cacophoniam in religione, quâ sublata sperari posset ligni arescētis reuegetatio; vt restituta postliminiò fidei orthodoxæ publica professione, disciplina Catholica reflorescerct, studia litterarum reualescerent, studiorum pritanæa reuiuiscerent, Cænobia, quę litterarum domicilia, & religionis erant sacraria resurgerent. Rectè Trithemius narrat omnia cænobia pridem fuisse gymnasia, & omnia gymnasia Cænobia.

In Chronico Hirsangia 1.

Hinc est quod ex ipsis heterodoxis scriptoribus nonnulli moderni deplorant istā monasteriorum demolitionem, quæ facta est auaritia vel inuidia quorundam in insulis Britannicis, quod videre licet apud Io. Stoum, Guilielmum Camdenum, Edmundū Housium & alios. Atque ano-

nymus quidam Annalium concinnator, quos à primordio regnantis Henrici octaui, per triregnium eius & liberorum vsque ad Elizabethæ initium perducit. Annò eius 32. ita ait. *Non desunt sanè homines docti, pijque, qui quamquam inficias non iuierint, otiosos & ventri deditos homines ex his latibulis vtiliter excitatos &c. tamen quod tot, tamque magnificas basilicas, vt in ijs Deus coleretur, à maioribus conditas, à fundamentis destruxerint, quodque locum nullum planè reliquerint, vbi monasticam vitam secundum exemplum antiquorum patrum, piè transigere volentes, quietè degerent à mundanis occupationibus segregrati, & siue scriptioni siue cōtemplationi (homines ad res administrandas siue publicas siue priuatas minus apti, quales multi reperiuntur) toti incumberent; adeo profectò non probant, vt ob ista vtrique nempe Henrico* octauo, eiusque vicario generali Thomæ Cromuello. *Deum multo minus propitium extitisse, sibi persuasissimum esse profiteantur*; ita scriptor Protestanticus. *Ex bibliotheca Nortoniana anno 1616.* *De monasterijs loquitur.* *Nota censuram Protestantis.*

Et quod hic Annalista breuiter perstringit de solitariè viuentium occupationibus, clariùs elucidat Scotichronicon his verbis. *Statutum est*, inquit, *in Anglia conuenienter, quod vnumquodque monasterium, à Regibus fundatum, haberet de ipso loco suum certum scribam, vel scriptorem; qui omnia notabilia tempore Regis, saltem* *L. 6. c. 39.*

in Regno, vel è vicinis contingentia, secundum quòd veritas facti se haberet, cum data annotarentur; ad proximum generale Concilium post obitum Regis omnes illi Chronographi conuenirent, & sua verè dicta siue scripta in medium producerent, & delectis à Concilio sagacioribus & in talibus peritis & expertis scripta examinarent, & diligenti habita collatione, de cōgestis summarium extraherent, & Chronicam compingerent, ac in cœnobicis Archiuis librariorum pro autenticis Chronicis, quibus fides daretur, scripta reponerent, ne temporum labilitate, memoriæ gestorum in Regno deperirent.

Horum monasteriorum diligentiam, si non vicerint præeundo monasteria sancti Columbani æquiuocæ congregationis; saltem imitando non prætermisisse verisimile est. Idque ex itinerario Columbani ab Eustasio Abbate conscripto, & ex rebus eius gestis à Iona in commentarium redactis, ex parte colligitur. Itemque videtur dicendum non de Luxouiensi tantùm, sed etiam de Fontanensi, de Palatio, Donati, de Adonis & Dodonis monasterijs, de quibus omnibus in primo membro huius secūdę partis scripsimus. Nec dissimile est iudicium de Ardmachana Basilica; de Benchorensi etiam, & Brigidiano in Hibernia cœnobijs, quorum archyua & tabularia, vtinam non intercidissent per crebras deuasta-

tiones & bella quæ acciderant.

DE COMMERCIO CIVILI inter Gallos & Hibernos.

MEMBRVM TERTIVM.

POstquã de Ecclesiastica & Academica, id est, de sacra & litteraria communicatione Hibernorum cum Gallis, in superioribus egimus; restat dicamus aliquid de ciuili commercio vtriusque nationis. Et sanè si sermo sit de sæculari negotiatione, qualis esse solet in mutuis contractibus emptionis, & venditionis secundum iustitiam commutatiuam, inter vicinos & longinquos; non est recens, nec ab heri vel nudiustertius instituta inter vtramque gentem & populum illa mercimoniorum contrectatio; vt nostri importent huc, quæ sibi superfluunt; & hinc exportent, quibus indigent. Eaque mutua inter eos commutatio, quo modo non sit intermissa, testes sunt maritimæ ciuitates, pænè omnes in Normannia, Britannia Armorica, Aquitania, Picardia, & sic de alijs, quæcumque vergunt ad nostrum Oceanum Vergiuum, in quos omnes portus, nostri mercatores conuehunt sua coria bouina, tam cruda, quam elaborata, suas

gausapinas, lanam impexam, textam, leuidensem, suos salmones, haleces, asellos, & capitones salitos, doliorum tigillos, sebum, pelles ouium, pelliculas syluestrium animalium, vt vulpium, aquatilium, vt lutrarum: linum & telam, & similes alias merces; exportant verò vinum, æramenta, lupulos hortenses, & alia. Adeoque antiqua erat & frequens ista Hibernorum cum exteris, præsertim Gallis negotiandi consuetudo, vt Cornelius Tacitus, in eo præferat Hiberniam vicinæ Britanniæ dum ita loquitur. *Solum cælumque & ingenia cultusq; hominum*, Hibernorum *haud multum à Britannia differunt, meliùs aditus portusque per commercia & negotiatores cogniti.* Idque rescire potuit Agricola per expulsũ seditione domestica vnum ex Regulis gentis, quem exceperat, ac specie amicitię in occasionẽ retinebat, debellandæ nimirum obtinendæque Hiberniæ, probè sciens id profuturum *aduersus Britanniam si Romana vbique arma & velut è conspectu libertas tolleretur.*

In vita Iulij Agricolæ, c. 8.

Sed nos prætermissis negotiatorum negotiis, aliam communionem & commercium quærimus; aliam inquirimus communicationem; eamque ni fallor inuenimus triplici iure subnixam, connubij, cognationis, & hospitij. Et de prima quidem eam sic deduco; in memoriam reuocans, quæ antea dicta sunt de Rege Dagoberto, eiusq

consanguinea S. Vvaldetrude enupta S. Vincentio Hiberno; ex quo fœlici matrimonio fœliciter inito, fœlix enatus est fructus quatuor sanctitatis germina celeberrima. Masculi duo S. Landricus & S. Dentlinus. Fœminæ item duæ S. Aldetrudis & S. Madelberta. De primo omnium S. Landrico ex lectionibus Ecclesiæ canonicorum & dominorum oppidi Sonegiensis, ita narrat Molanus in Natalibus 17. Aprilis.

" Sonegijs, natalis S. Landrici Episcopi
" & Confessoris. Qui parentes habuit san-
" ctitate & nobilitate illustres, beatum Ma-
" delgarium agnomine Vincentium & Vval-
" detrudem, quorum omnes proles in san-
" ctorum numero adscriptæ cognoscuntur.
" Ex his Landricus, qui primus ab vtero ma-
" tris natiuitatis exordium sumpsit, sic gra-
" datim virtutum iter accelerauit, vt in Ca-
" thedram * Metensis Pontificij dignaretur
" eum Dominus sublimare. Post obitum au-
" tem patris, postposito Episcopio vsque ad
" fœlicem transitum Sonagiense monaste-
" rium rexit: vbi etiam est tumulatus, &c.

* *Veriùs Meldēsis vt patet ex Chronico Cameracēsi. l. 2. c. 46. ponitur à Demochare ordine 24 l. 2. de sacr. Vide Hucbaldum in vita Aldegūdis. c. 8.*

S. Dentlinus, qui septem annorum puer in albis mortuus, inuocatur in Litanijs Canonicarum sanctæ Vvaldetrudis, & apud Canonicos Reseensis oppidi in Cliuia, annuè celebratur ad diem decimum quartum Iulii, & hebdomadatim feriis se-

cundis, & quartis non impeditis, & in Matutinis Lectionibus clerus Reseensis illius meminit in hunc modum.

GenuitS. Vincentius sanctum Dentlinum patronum nostrum gloriosum. Qui in Christo renatus infans migrauit ad Dominum. Vt de eo impleretur sermo Dominicus. *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Et quod Propheta dicit: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* In huius enim mũdi procellarũ fluctibus diu quassari nequaquam est permissus, vt de eo verè dicatur; *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam eius. Placita enim erat Deo anima illius: propterea properauit eum Deus educere de medio iniquitatum.* Et infrà Sepultus est S. Dentlinus honorificè in cœnobio Sonegiensi iuxta beatum Vincentium genitorem suum in locello auro & argento ac lapidibus pretiosis intexto. Quod cœnobium ipse S. Vincentius eleganti satis construxit opere, & stipendiis ac possessionibus magnificè exornauit.

Matth. 19. Psal. 8. Sapiẽt. 4.

Sancta verò Aldetrudis virgo, prima filia: in Malbodio monasterio natalem habet 25. Februarii. Puella bonæ indolis, materteræ suæ S. Aldegundis mores, & vitam satagebat imitari. Quæ cum multis floreret virtutibus, humilitati præcipuè, & obedientiæ dedita erat. Huic aliquando B.

virgo Aldegundis præceperat, vt fragmenta ceræ coaceruaret in vnum, sollicita ne vel minima rerum monasterii deperirent. Illa dicto citiùs paruit, dispersa ceræ fragmenta collegit; ignem accendit, vas æneum cera plenum superimponit: Sed cum strues lignorum combusta decideret, & sartago feruens in alteram partem inclinaret, virguncula armata fide, de medio flammarum lebetem bullientem manibus nudis sine vlla læsione in pauimentum deposuit. Tantum apud Deum, & méritum iubentis, & virtus obedientis promeruit. Successit autem materteræ iń regimine Malbodii per annos duodecim. Postquam germana soror Madelberta per annos nouem.

Madelberta habet nouem Lectiones Malbodii vbi prçfuit: & Leodii vbi translata quiescit, & colitur die 7. Septembris.

Quàm fœlix faustumque coniugium Hiberniæ cum Gallia, Vincentii cum Vvaldetrude, ex quo tam multiplex, tam sancta, tam digna parentibus soboles procreata est. Ciuis Hiberniæ, Regis Franciæ affinis, Hannoniæ Comes, sanctæ vxoris coniux, & ipse sanctus prolem sanctam suscipit.

Ipse inter Dagoberti palatinos non infimus; postquam strenuos, & pios fidei prædicatores ex Hibernia in Galliam secum

adduxisset; postquam Regis consanguineam nuptui sibi elocatam, prolis susceptione condecorasset; atque ex eadem prole, partem cœlo præmisisset, partem reliquisset hæredes patrimonii virtutum, ipse suscepto habitu monastico, sub sanctæ conuersationis regula, sese humiliter reducit ab vxore separatus seruata charitate; Autberto Episcopo suasore cingulum militare deposuit, totumque se addixit diuino cultui, ipsa quoque admonente sancto Gisleno ab eodem B. Autberto sacrum velamen impetrauit & cellulam construxit, quæ hodie est Ecclesia eiusdem sanctæ, in Montibus Hannoniæ vrbe, conuersa in Canonicarum Nobilium collegium, cuius perpetuus Abbas & aduocatus est Comes Hannonię. Cum autem sancta ante conuersionem secum luctaretur, apparuit ei sanctus Gangericus Episcopus, qui dixit, Age quod agis, & calicem vino plenum per visionem ebibendum dedit. Quā visionem illa passim narrauit & meditatum opus perfecit tolerans calumnias & ōpprobria, quę hinc nascebantur. Loco autem exculto etiam nobiliores puellę ad eius magisterium concurrerunt, & sub ea Domino castitatem dedicarunt.

Videtis ex hoc vno coniugio, quā multa bona profluxerint: exemplum coniugibus

thori sancti & immaculati; parentibus re-
ctę educationis liberorum; exemplum li-
beris obedientiæ & imitationis parentum;
exemplum palatinis sibi à sæculi naufragio
cauendi, Regularibus, otii fugiendi, bonę-
que institutionis aliis infundendæ, oppro-
bria calumniantium fortiter tolerandi: vno
verbo, in vno hoc connubio relucet sacra,
litteraria, ciuilis communio, & arcta bono-
rum confæderatio inter Galliam & Hiber-
niam.

Sed dicet fortasse quispiam, quod vna
hirundo non facit ver: & ex vno hoc nup-
tiali nexu non posse conuinci inter vtram-
que nationem, extitisse memorabilem ali-
quam vitæ socialis communionem aut ci-
uilis consortii vinculum.

Esto vna hirundo non faciat ver, vnus
tamen Plato instar multorum erat sapien-
tissimo philosophorum Socrati; & vnus
Vincentius cum vna Vvaldetrude nobis
esse posset ad instar multorum coniugum.
Hoc eorum pietas, eorum honorificentia,
eorum fælicitas in se & in sobole, eorum
profundissima humilitas cum charitate
celsissima, eorum fundatissima virtus, so-
lidissima dignatio, magnificentissima li-
beralitas in posteros, adeo & in nostram
vsque ætatem propagata, & obsequio diui-
no firmiter mancipata, id euincet nobis &
vel inuitis extorquebit: Nihil in illis hirun-

dineum garrulæ vanitatis sæculi; nihil arundineum mundanæ instabilitatis: nihil horridum aut hiulcum in voluntaria eorum austeritate; suam illi fecerunt paupertatem multorum egestati subleuandæ seruire. Illa ex illo didicit, vterque à Gisleno, Autberto, & hi ab Hibernis adiutoribus & cooperatoribus non mediocriter suffulti, istos verò à sancto Vincentio vel euocatos, vel eductos è tellure natali, non est dubium à S. Patricio, Columba, Brigida fuisse adiutos.

Sed cum vnus Vincentius Madelgarius posset nobis hoc loco sufficere, ne laborare penuria videamur, alium ei ex superabundanti subijciemus, qui non impar ei in nominis celebritate, prope etiam sanctitatem exæquat. Is est sanctus Rupertus Saltaburgensis Antistes, qui in nostra Scotorum patria, à sancto Patricio baptizatus, & litteris Ecclesiasticis imbutus legitur, à Regia stirpe Francorum, & Ducum Scotiæ prognatus apud Henricum Canisium tom. 5. veter. Lection. videri poterit. Et in historia eiusdem sancti, cum fratre Trudberto & sorore Erintrude, quam alij neptem eius autumant, initiatos instructosque à sancto Patricio in Scotia, non alia opinor ab illa quam ipse incoluit & excoluit, in qua & viuens sedit & mortuus requiescit, vt verbis vtar sancti Bernardi.

Mirum quòd nuſquam de hoc ciuilis ſocietatis vinculo nuptiali ſermo nobis recurrat, quin mox ſubintret de ſacro & litterario nexu mentio.

Nam ſi Rupertus cum fratre Trudberto & ſorore Erintrude ex ſtirpe, & ſanguine magnatum Hiberniæ ſunt editi, hoc exiguum cenſeatur, niſi ſtatim cum ſanguinis communione miſceatur regenerationis in Chriſto, & Chriſtianæ educationis ibidem prouentus: vt de Ruperto habemus baptiſmo initiatum, & litteris inſtitutumq́ fuiſſe à noſtro ſancto Patricio.

Alteram communicationis legem priori agnatam, ex qua etiam ipſa illuſtratur magis, eſt cognationis ius, cuius ſiquis inficias iturus eſſet, ex ipſa cognominum energia, & mutua familiarum nomenclatura argui poſſet & conuinci.

Plurima certè ſunt apud noſtros illuſtrium etiam familiarum nomina, quæ Gallicanam ſapiunt originem, qualia ſunt multorum titularium, & equeſtris ordinis, nobilium, & generoſorum, atque ingenuorum, & in quolibet gradu noſtræ Reipub. Sic de la Roche, de la Cource, Nogent, Barneuille, Netteruille, de Lacy, de la Blanche-ville, de la Groſſe, de S. Leger, de S. Aubin, Burnell, Boucher, Verdun, Moucler, Rochfort, de Burgo, Petit, Belleau, & infinita alia eiuſdem originationis.

Siue autem primo assultu in terram nostram è Gallia exscenderint, quæsituri nouas sedes: siue proximo ex Anglia resultu in nostram viciniam immigrauerint, eandem redolent prosapiam: sed cum hoc discrimine, quod hi qui ex Gallia proximè ad nos traiecerant sua muria Normannica vel murice Armorico, Aquitanico, Gessoriaco liquefacti, meros Gallicismos ad nos inuexerint; qui verò ex his portubus in partes Britãnicas Angliæ, Cambriæ, Cornubię, Loegriæ, Caledoniæ penetrauerãt, & inde apud nos exscensionem fecerant madore Britannico imbuti, mores suos cum aduentitiis miscentes, temperamentum ex vtrisque conflatum nobis infuderunt. Sed qualescunque fuerint ritus & instituta, nomina ipsa resipiunt truncum vnde prouenerant: retinent saporem primigenium, quo tincta sunt, & ad petram respiciunt vnde sunt excisa: nec pardus suas varietates perdit.

Suetonius in Claudio c. 25. Quod si Claudius imperator Iliensibus, quasi Romani generis auctoribus tributa in perpetuum remisit, recitata veteri Epistola Græca Senatus populique Romani Seleuco Regi amicitiam & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses, ab omni onere immunes pręstitisset. *Machab. 12.* Si Hebræi cum Spartiatis quasi cum fratribus communicabant, eorumque me-

mores erant in sacrificiis, quæ offerebāt, & in obseruationibus, sicut fas erat meminisse fratrum, ob communem eorum originem ab Abrahamo vsque ductam; prout rescriptum Arii Regis Lacedæmoniorum continebat; Quid impedit quominus inter vtramque gentem Gallicam & Hibernicam, quarum propinquior cognatio, & dilucidior est propinquitas, mutuis inter se officiis & beneficiis consocientur, vt sanguinis communio gradum faciat ad societatem & amicitiam inter vtrumque populum stabiliendam.

Vide Genebrard. l. 2 Chronogr. qui legendum putat Darium ex auctoritate Pausaniæ Plutarchi. &c.

Tertium communionis ciuilis vinculum est ex iure hospitij petendum: quo quid apud antiquos sanctius & antiquius? vt qui illud violasset in Busiridis censum aut Troglodytarum tabulas referri, & ex albo humanæ societatis cultorum, eradi debeat & expungi. Magnum quidpiam & paradoxum dixero, si Hibernia olim non hospitium tantùm, sed asylum & perfugium fuerit nobilissimis Europæorum gentibus: quisquis tamen asseruerit, nec in aëre loquetur nec in aqua scribet.

Habetur, id apud antiquum & celebrem scriptorem, eumque vnum ex præcipuis Romanæ historiæ conditoribus: Cornelium Tacitum nullo tacendum ore; in vita Iulij Agricolæ soceri sui: si verba eius non perfunctoriè legantur, sed accuratè &

pensiculatè expendantur, primò considerat situm nostrę Insulæ: *Siquidem Hibernia medio inter Britanniam & Hispaniam sita* (non Mathematica diuisionis æqualitate, sed inte riacet tamen) *Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperij partem magnis inuicem vsibus miscuerit!*

Quænam ista valentissima imperij pars, nisi inclytę illę nationes Gallorum, Hispanorum, Britannorum? hi nerui & artus Romani imperij: hi bellicosissimi populi, quibus in prouincias redigendis, tot Scipiones, tot Cæsares insudarunt: quibus etiam in officio continēdis, tot nummorum aceruos exonerauit ærarium populi Romani, tantum sanguinem profuderunt legiones Romanæ, tot expeditiones fecêre Duces & Imperatores Romani. Hæ ergo validissimæ gentes, valentissima imperij portio, censitæ sunt in historia Romana, ab his illa permixtio magnis vsibus inseruiens, à Cornelio notata est: qua missi sub iugum populi, mordentes seruitutis frænum, & ex re excussum cupientes, in Hiberniam profugerunt.

Nec aliter accipit verba Taciti, fidissimus interpres Guilielmus Camdenus in sua Chorographia, quem proprio ore loquentem æquis auribus feramus.

Cum suum Romani Imperium vndique „
propagassent, multi procul dubio ex Hispa- „
nia,

nia, Gallia & Britannia huc se receperũt ״
(nempe in Hiberniam) vt iniquissimo ״
Romanorum iugo colla subducerent. Nec ״
aliter illa Taciti verba capio, Valentissi- ״
mam Imperii partem magnis inuicem vsi- ״
bus miscuerit. Idemque alibi in medio re- ״
linquit, vtrum Carausius ille Menapius, ״
qui assumpta purpura Britanniam inuasit *In sua Lagenia.*
& contra Diocletianum hostem Christia-
ni nominis teterrimum occupauit, Hiber-
nus an Belga fuerit, tametsi auctoritate
Aurelij Victoris, qui vocat eum Menapiæ *Ex editione Andreæ Schotti.*
ciuem, magis inclinet Hibernum fuisse,
eo quod vrbs Menapia non in Belgica, sed
in Hibernia statuitur à Geographis.

Maneat igitur hoc certum & fixum, quod de iure hospitij diximus, illustrioribus Europęis (à quibus nec Germanos secludimus) asylum extitisse & perfugium Hiberniam: scutum quoque à tyrannide & iniurijs Ducum ac Legionum populi & imperij Romani: vt arguendus videatur Polyhistor dum eam pro gẽte inhospita virulentè sugillat, atramento sutorio maculam ei illinens, quam ratio temporis ex Tacito subducti, & inueterata indoles hospitalitatis facilè diluet: vel siqua tunc sordes aut illuuies adhæserat ex communi cum cęteris vicinis gentibus contagione, quæ secuta est rationis & cultus accuratio paulatim detergebat inustam infamiam à

qua renouanda melius abstinuissent moderni quidam scriptores, quam vt more pecudum arietē cæco impetu sequentiū, nullo delectu habito iudicij proprij, in eosdē errores inciderent, in quos, magis excusandi veteres, captis è triuio rumusculis, impegerunt; quod nunc ad oculum patet in Solino & in Mela, in quam multis extra lineam saltauerint, in sua quantumuis breuicula istius & reliquarum Britanniæ insularum descriptione.

Non sēper vera sūt quæ à quolibet de quibusuis narrantur A. Ortelius. Vide Cābrē-sem è mediæ ætatis scriptoribus, Boterū & alios. Camertem etiā & Vadianum ex recētioribˀ. Vide tom. 7. histor. Germ fragmētum Anonymi præfixū Alberto Argentinensi & Vvyb l. 4. c. 26. Bedā l. 3 hist. c. 1. & 3. Malmesburien. l. 5. c. 3. de Regibus.

Sed antequam egrediamur è finibus huius celeberrimi hospitij, adeamus Dagobertum regij Francorum sanguinis Ephæbum & Regni Austrasię legitimum hæredem, quem perfidia Grimoaldi tutoris à patre Sigeberto Rege dati, in monachum totondit, atque huc ad peregrinandum direxit, vt filium suum contra fidem datam, contra ius fasque in Regnum eueheret. Quamuis enim tutelæ ceremonia & sanctitas violata sit ab iniquo Curatore, Hibernia tamen haud intuta illi aut inhospita, quemadmodum & alijs principibus necessitate pressis gremium suum aperuit, quod & Osvvaldus Rex cum Osvvio fratre aliique Britannorum Proceres testati sunt, & historię illorum temporum non obscurè commemorant. Nec subduxit

Gallia talionem antidoralem in ſuſcipiendis profugis noſtris, tum alijs eminentioris faſtigij, tum alumnis ſtudiorum, quos materno ſinu refouet, & paterno affectu complectitur

Ob iſtam munificentiæ Gallicanæ perennem venam, debet plurimum eidem nationi Hibernica natio; debet etiam ob veterem obſeruantiam, qua ſanctos olim Hibernos, & ſuſcepit in tutelam, & ſuſceptos adhibuerat magnis in Repub. muneribus: vt etiam in Regni arcanis, eorum conſilio, fide, prudentia, pietate vteretur. Sic Vvirone Pipinus, ſic Vincentio Dagobertus, ſic Columbano Theodoricus, & poſt Theodoricum Clotharius, magni principes & Reges Galliarum. Cumque tumultus fugiendi, & captandæ ſolitudinis cauſa receſſiſſet è Gallia Columbanus, & tranſgreſſus Apennini iuga, nouus incola Alpinus in Cęnobio ſuo Bobienſi ſeceſſum faceret, idem Clotharius Rex honeſtiſſimam legationem ad eum miſit Euſtaſium Abbatem Luxouienſem diſcipulum & ſucceſſorem ipſius, adiunctis aliquot ex magnatibus Regni, qui nomine Regis eum rogarent, vti dignaretur ad Regem reuerti, cui magno vſui futura eſſet eius pia & fidelis proſpicientia, & conſiliorum aſſidua communicatio, non tantùm preces

& sacrificia, quibus etiam absens frui posset.

Hucusque prouexit Hibernos diuina dignatio simul & Galliarum magnifici Reges: hucusque & nos proueximus huius ciuilis cōmercij vtriusque gentis communicationem: quid nobis deinceps nisi lachrymæ, gemitus & suspiria de nostro infortunio & lapsu ab illo culmine sanctitatis, eruditionis & honorificentiæ? Quam rerum commutationem tam luctuosam & deplorandam, Thaumaturga nostra Brigida animo præsensisse videtur, dum quadam vice præsente sancto Patricio cum suo discipulorum sanctissimo Cuneo, in ecstasim rapta, huiusmodi visione & præsagio futurorum diuinitus illustrata fuisset, quam præcipiente id sancto Patricio, in hunc modum enarrauit.

Iocelin. c. 92. vita S. Patricij. *Vidi synodum Candidatorum, & aratra, boues & segetes cuncta candida, deinde omnia illa maculosa, postmodum omnia nigra, ad vltimum conspexi oues & sues, canes & lupos discordantes ad inuicem & confligentes. Sanctus autem Patricius visionem exponebat, totumque candorem præfatum ad mundi statum tunc temporis præsentem pertinere dicebat. Omnes enim in eo Prælati & subditi erant in fide ac bonis operibus secundum Euangelicam doctrinam & Apostolicam feruidi & fertiles. Maculosa quoque ad tempus sequen-*

tis generationis spectare dicebat, in quo fide quidem canderent, sed ea prauis operibus denigrarunt. Nigredinem subsequentem asserebat tempore generationis secuturæ congruere, in qua vitam suam homines, non solum iniquis operibus prophanarent, sed etiam fidei Christianæ abrenunciatione. Discordiam ouium, suum, canum, luporum, pronunciabat controuersiam innocentium & immundorum, Prælatorum bonorum & prauorum affuturam in diebus posteræ generationis, post annorum scilicet curricula plurimorum. Hactenus visio & eius expositio.

Quæ si tota transacta est: & nobis si non esset nefas per certos temporum articulos ad certas ætatum periodos eandem deducere; procliue foret extremas duas mutationes nostris & auorum diebus accommodare: Illic quidem prophanationem sacrorum, & abiurationem fidei Catholicæ, saltem oretenus sub Henrico VIII. factam: nobis vero & proximis nostris antecessoribus, dogmatum pariter & politeumatum digladiationem: dum porcorum rostris effodiuntur ouium pascua; & luporum è rostris & suggestis incondito vlulatu, supploditur agnorum balatus; & inter se hircis arietantibus innocuus ouium grex inedia contabescit, alijs illis vel inuidia, vel saturitate crepantibus. Canes interim quos custodiæ ouilis oporteret inui-

gilare, vel ex se muti sunt vel coguntur obmutescere. Quod si quando vel furtiuis latrant excursibus, sues ad rauim oggrunniũt & lupi in rabiem efferantur: Sed noluimus refricare cicatricem aut crabones irritare.

His ita sufferuescentibus rixis, vt diximus, (plura dicturi si mores & tempora tulissent) videamus quò demum reciderint res Hibernorum, quam profunda obscuritatis & abiectionis nocte inuoluantur; quàm longè abstent ab omni honorifica dignitatum communione, quid mirum in Gallia, quando in ipsa patria sua, apud focos auitos, & lares patrios; nullius honoris, siue Ecclesiastici, siue politici consortes esse possunt, nisi qui exsortes se faciunt gratiæ Dei, & hæreditatis cælorum. Quando eò deuentum est calamitatis & miseriæ, vt honestiores quidam & cultiores vel moneantur ab *alijs* non maleuolis, aut à seipsis nullo hortante moueantur ad faciendam abnegationem patriæ, quasi erubescentes se nasci obnoxios omnibus improperijs, ærumnis & opprobrijs, quæ secum trahit multorum iudicio, illud olim eximium, nunc vile vel exile vocabulum.

Sed nobis quamuis non admodum vetusta sit ista inclinatio rerum & fortunarum; orbi tamẽ Christiano innotuit; quum

& à condita rerum vniuerſitate inualuerit decliuitas, & mutatio ſortis hominum, populorum, & gentium, his nunc ſurgentibus, illis cadentibus; his elatis, illis depreſſis, his ſpernentibus, illis ſpretis: his florentibus, illis marceſcentibus. Atque vt in eadem malo Medica, fructu nonnullo erumpente in florem, alium matureſcere cernimus, atque alijs planè maturis quoſdam molleſcere in putredinem, & ob nimiam maturitatem tabeſcere: Sic & in iſta mundi machina viciſſitudo eſt naſcendi, creſcendi, conſiſtendi pauliſper; mox verò decreſcendi, cadendi, ruendi in interitum; quandoque etiam reſurgendi, vbi id viſum fuerit numini omnia gubernanti, iuxta cõſilium ſapientiæ ſuæ, extra cuius ambitum nihil exſtat, nihil conſtat, nihil penitus in orbe ſubſiſtit.

Nunc ſegetes vbi Troia fuit: & rotata viciſſitudo rerum, exuuias populorum, cadauera vrbium, ruinas gentium in ludibrium humani faſtus oſtentat; infeſtoque pungit aculeo ſuperbos ſupinè hiantes, oſcitantes, pandiculantes & vel ſtertentes ignauè, vel garrientes facundè de terrena fælicitate, quaſi aliquid magni, firmi, ſolidi mundus iſte labilis amatoribus ſuis polliceretur. Quid inſtabilius Madianitis qui ſic vexabant & conculcabant Hebræos, vt nec in luce cõſpici miſeri cauernicolæ, nec *Iudic. c. 6.*

Israelitas se vocari turpi seruitute pressi sustinerent? Quid infælicius Antiocho, à quo sic in Machabæos sæuitum, vt vix quispiam auderet se Iudæum nominare? Idémque erat de Christianis sub Imperatorum infidelium rabie. Quid Mauris infamius & Arabibus, sub quorum tristi iugo gementibus Hispanis, infame & periculosum erat patriam suam recognoscere? Quid Iutis, Vitis, Anglis horridius, cum se primum in cultissima Britannorum latifundia effunderent, & vocati in auxilium contra Hibernorum incursionem, boni auxiliares in exilium, latebras, cautes & cauernas compulerũt eos à quibus in suppetias acciti fuerant, quos sic spreuerunt, vt veros & veteres indigenas, pro exteris aut extorribus haberẽt olim, atque etiamnum habeant ex vsu ipso loquendi Vvallos id est alienigenas eos appellantes. Quid denique de Normannis dixerimus! non id meis verbis sed antiquorum testimonio annalibus inscripto referendum. *Mortuo Vvilhelmo primo, vix erat in Anglia princeps Anglicus, imo Anglis in seruitutem redactis, probrosum fuit vocari Anglum: Deus enim ad exterminium Anglorum præordinauit populum ferocem, quorum natura est cum hostes depresserint, ipsi se deprimant. Ita Henricus lib. 6. Polyt. & apud Vvillelmum Malmesburiensem. Vvulstanus Vigorniensis Epis-*

1. Mach. 1.

Mariana & alij.

Beda l. 1. histor.

L. 1. de pontif. c. 3.

copus Anglis dixerat frequenter, tribulatio flagellum Dei est, quod patimini. Et cum Angli dicerent, quod peiores illis essent Normanni, plus multo quam fuerant Angli, respondit, malis illorum benè in nos vtitur Deus, & per indignos exercet vltionem in meritos, sic & mala voluntate sua, sic bona volũtate Dei punit dæmon peruersos in gehenna, cum eisdem pariter puniendus. Exemplum est, si aliquem iratus baculo percusseris, non multum curabis de fractura baculi. Hucusque ille.

Quod si nos pari mẽsura, põndere, merito, exercemur paterna Dei correctione; apagè lacrymas, cineres, luctus; induamus potius lætitiam & exultationem, quia non sumus extra disciplinam patris; flagellat omnem filium quem recipit; euentilat aream; paleam excutit, vt frumentum purgatum, mundum, horreis cælestibus inferat. Audiat Britannia Camdenum suum amicè monentem officij ne vitiis exacerbet diuinam mansuetudinem, ne peccatis irritet, indignationem prouocet, vltionem acceleret; subest enim ei cum voluerit potestas animaduertendi in gentem exasperatricem, vt vel *deuictos transferat vel excisis inferat* alios sibi gratiores populos. Idem ego & de Hibernis dixero, seu nouis colonis, seu veteribus indigenis.

Dixero tamen illud vicissim grandæui & nobilis Britanni verbis ad Henricum

Girald. Cambr. in Topographia Vuallia.

secundum. Grauari plurimaque ex parte deſtrui vel debilitari veſtris Rex, aliorumque viribus nunc vt olim & pluries gens iſta valebit; Ad plenum autem propter hominis iram niſi & ira Dei concurrerit, non valebit. Quod ille de Cambris & Cambria, ego de Hibernis & Hibernia pari tenore dixerim. Facit Matthæus Paris in exordio hiſtoriæ ſuæ queſtum doloris ſenſu pleniſſimum de conqueſtu Normannico.

Ecce inquit Regni Angliæ dulcis patriæ excidium dolendum; cuius olim reges primo ſui aduentus tempore, vultu & geſtu barbarico, vſu bellico, ritu prophano incitati, omnes ad omnia prouocabant, omnes armis & aſtutia edomabant: Sed poſtmodum Chriſti fide ſuſcepta, paulatim religioni operam dantes, armorum exercitium neglexerunt. Siquidem Reges tunc habitu mutato, quidam Romæ, quidam in patria cæleſte Regnum lucrati, pro temporali commutabant æternum. Multi tota vita ſua mundum amplectentes, Eccleſias & cænobia fundabant, theſauros pauperibus erogabant, & vt breuiter dicatur, miſericordiæ opera adimplebant. Martyribus, confeſſoribus & ſacris virginibus, inſula adeo plena refulget, vt vix aliquem vicum famoſum prætereas, vbi alicuius noui ſancti nomen in-

ſigne non audias; Sed poſtmodum refri- „
geſcente charitate, & aureo ſæculo in lu- „
teum mutato, religionis ſtudia obſoluē- „
runt, ſicut priùs in aduentu Danorum, „
& nunc in expulſione Anglorum a Nor- „
mannis, peccatis exigentibus, extermi- „
nium acceſſit incolarum. Nam optimates „
gulę & veneri ſeruientes, more Chriſtia- „
no Eccleſiam mane non petebant, ſed in „
cubiculis & inter vxorios amplexus, ma- „
tutinarum ſolemnia ac miſſarum à preſby- „
tero feſtinante, auribus tantummodo prę- „
libabant. Clerici quoque & ordinati adeo „
litteratura carebant, vt cæteris eſſet ſtupo- „
ri, qui Grammaticam didiciſſet. Potaba- „
tur ab omnibus in commune; tam dies „
quam noctes in hoc ſtudio productæ ſunt. „
In cibis vrgebant crapulam: in potibus „
vomicam irritabant. Veruntamen hæc „
mala non de omnibus dicta intelligas, „
cum multos cuiuſlibet conditionis homi- „
nes & dignitatis, in eadem gente conſtet „
Domino placuiſſe: Ita ille de Anglia, ea- „
demque paucis mutatis in Hiberniam
conueniunt.

TERTIA PARS DISSERTATIONIS,

CVM PARENAETICA coronide & ad Alumnos Collegiorum Apostrophe.

CÆterum ex his quę nunc intrauimus, egressi diuerticulis, vt ad S. Brigidam redeamus, eiusque visionem: reducamus tandem mentem & oculos ad arborem illam sub cuius vmbra cubant tot discordantia animalia: in cuius ramis nidificant tot discolores & versicolores auiculæ: conspiciamus eam fronde marcescentem, fructu amarescentem, trunco incuruescẽtem, arescentem radice, & tota sua proceritate deflorescentem, excidentem ab antiqua prosperitate & flore: cuius reparandi tam multæ sunt obices, tam pauca opitulamina.

Attamen lignum habet spem, si præcisum fuerit rursum virescet, & rami eius pullulant. Vos estis, vos inquam & vestri similes Collegiorum alumni, vos estis illi rami, illæ propagines, illa germina, quæ è stipite reciso, è radice saucia repullulatis: vos altera spes Danaûm, qui fessas vires

recreare, fugientes ſpiritus reuocare, vaneſcentem halitum reſtituere, ſuccum euaporantem colligere debetis: veſtri id muneris & honoris fuerit, vt ſicca humeſcat, arida reuireſcat, inhonora refloreſcat, veſtro attactu vegetetur, attrectatione frondeat, attractu fructum ferat. Vos eſtis qui ſtudia veſtra diſpenſatis, mẽtes deſponſaſtis, obſequia dedicaſtis, voſque totos deuouiſtis colendo Numini, excolendæ patriæ, ſupplantandis erroribus, complantandis virtutibus, eluctandis errantibus, firmis conſolidandis, omnibus denique iuuandis popularibus veſtris, vt fructum referant in abundantia; vt ex ſurculo creſcat arbuſtum, ex virgulto naſcatur ſpecioſa arbor, & ex ſemente cum lachrymis facta proueniat meſſis in lætitia.

Vos eſtis qui manum ad aratrum miſiſtis: qui aratrum ipſum cum propheta Eliſæo immolando ſacrificio dedicaſtis: nec retro debetis reſpicere, nec retractare ſemel dedicatum: Diſplicet enim Deo infidelis promiſſio, & ruina eſt homini poſt deuotationem pænitentia. Pulchrè ſanctus Maximus. *Omnis arans ſi retrò reſpiciat, aut tortuoſum & inutilem faciet ſulcum, aut arantium boum ſuorum veſtigia vulnerabit: Ita & qui directo tramite ac ſpirituali vomere vitia mundana perſulcans incedit ad Dei re-*

3. Reg. 19.21. Prou. 20.

In circū-ciſ. Domini ſiue decalendis Ianuarij interpretatione.

gnum, si aspectum suum ad impia & vana conuerterit; & iuges suos, hoc est, corpus & animam vulnerabit; & optimi itineris periculosum incurret errorem.

Vos, absit, in errorem abiretis, qui errantes in viam reducere debetis: vos estis qui Brigidæ columbinam cum prudentia simplicitatem, qui Columbæ innocentiam cum vigore sanctitatis, qui Patricij zelum, constantiam, magnitudinem animi & ardoris pro honore Dei, salute populi, animarum lucro imitari & amplecti debetis: vos qui oliuam pacis & concordiæ, ficulneam suauitatis & mansuetudinis, vitem lætitiæ & consolationis inferre debetis & inserere pectoribus popularium vestrorum ad virtutem & pietatem excultis, vos istis noualibus pastinatis, renouatis, & proscissis grana frumenti electi debetis inspergere.

Vos qui hodierna die celebratis natalem sanctæ Tutelaris, qui celebratis nuptias Agni, ad quas sponsa eius ipso auxiliante se præparauit: qui sponsalitiam eius initiationem in fide, iustitia, iudicio factam recolitis; qui eandem prodigio ligni aridi reuirescentis, & amissi luminis recuperatione scitis illustratam; vestri erit laboris & operæ sitiētem hierarchicæ arboris radicē humectare, vegetare flaccescentem stipitem, oliuam erigere, ficulneam stercorare

Ose. 2. 19.

& exoculatam releuare vitem, truncum *Marc 4.*
arescentem irrigare; vt ramos expandat, 28.
emittat surculos, fructum producat; vt terra siticulosa vertatur in fæcundam, quæ vltrò fructificet, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica: vt terra illa quæ falsè sed falsò cuipiam dicta est deserta & inuia, posthac peruia litteris & pietati, inuia ruditati & errori conseratur in semitis, virtutum plantarijs: seminetur in sulcis litterarum semente: vt insulsum lolium sterilesque auenæ, vt labrusca, caprificus, oleaster, *Esa. 28.*
ex satis & cultis auerruncentur. Nunquid 24.
„ tota die non arabitis arantes vt seratis,
„ proscindatis & sarriatis humum vestram
„ natalitiam? Nonne cum adæquaueritis faciem eius, seretis gyth, & cyminum spargetis, & ponetis triticum per ordinem, & milium & viciam in finibus suis? Et erudiet vos in iudicio Deus vester. docebit vos?

Aptate igitur instumenta, parate vomerem, sarculum & rallum; hæc sit vobis officina, fornax, & fabrica: hic malleus, incus, & tudes: implete sacculos frumento optimo: hæc omnia vobis largiter suppeditabit vrbs & Academia Parisiensis. Inuocate illum Agricolam qui exiit seminare semen suum, illum vineę Dominum qui primo mane, meridie & vesperi conduxit

operarios in vineam; illum ficulneæ curatorem, & cultorem oliuæ qui plantat & putat, & sterili arbusto securim mittit ad radicem. Inuocate sponsum cælestem, qui
Osea 2. Brigidam vestram sibi desponsauit, ipse sponsabit vos sibi in misericordia & miserationibus. Et sponsabit vos sibi in fide, & scietis, quia ipse Dominus. Et erit in die illa, Exaudiam dicit, Exaudiam cælos; & cæli exaudient terram. Et terra exaudiet triticum & vinum & oleum & hæc exaudient Iezrahel Hiberniensem. Et seminabo eam mihi in terra, & miserebor eius quæ fuit absque misericordia.

Verum est Domine verbum tuum, verumtamen quando hæc erunt & quod signum aduentus tui? Tu obmutesce pellicula morticina: sile puluis & cinis. Audi
Actor. 1. 7. loquentem, reuerere decernentem. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos*, & eritis sponso testes in cunctis Hiberniæ prouincijs, & vsque ad vltimum terræ illius.

Nobis hoc satis erit: promissio; quam ominamur tua, nobis abunde satisdat, ipsa se, cum visum fuerit, liberabit. Nos interim euntes ibimus & flebimus mittentes semina nostra; fodientes, putantes, colentes vineam, ficulneam, oliuam Hierarchiæ nostræ: elapidando, sepiendo, turrim &

torcu-

torcular extruendo, in excubijs manebimus, donec tandem venientes cum exultatione veniamus portantes manipulos nostros, vuas, ficus, oliuas nostras in dolia, thecas & apothecas cælestes recondendas.

Turris fortissima nomen Domini: & torcular calcauerat solus: sed nunc non solus. Domine exercituum, pace tua dixerim. Socij tibi non pauci sudant in torculari, sordent in carcere, sedent in compedibus. Ex quibus & Lucas fidelis noster, noster fidus Achates, quem ex Hibernia reducem cum suo manipulo expectantes *Rochefort.* audiuimus in Anglia captum, inediâ maceratum, datum in vincula in quibus etiãnum detinetur. Sed pressus ille in torculari liquorem dedit bonũ, oleũ luminosum; nihil ibi fraciũ, nihil fæcis, & amurcæ, omnia pura, proba, & probatissima: mitte Domine angelum tuum qui educat, deducat, & ad nos reducat incolumem; vel ad messem, quam reliquit non deseruit, saluum & sanum remittat.

Ita sanè suos pugiles explorat Deus; alios sic, alios aliter; omnes æqualiter, licet non æquali in omnibus temperamento gubernat. *Non enim in serris triturabitur Gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit: sed in virga excutietur Gith, & cyminum in baculo.* *Isaia 28. 27.* *Panis autem comminuetur: verùm non inper-*

petuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec vngulis suis comminuet eum. Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret consilium, & magnificaret iustitiam.

Magnificum verò & inscrutabile consilium Dei super salute hominum; profundum & inscrutabile mysterium; & quis nisi mente captus, & inops consilij velit inuestigare? Qui mortuis vitam, cæcis visum, auditum surdis, gressum claudis, arescentibus brachijs vitalem motum restituit; qui ligno arido per virginis attactum in testimonium virginitatis vegetationem dedit, ipse potens in prælio, potens in virtute, Dominus vniuersorum, Deus omnipotens, quæ nobis impossibilia videri possunt, in momento, in ictu oculi si velit, efficiet.

Quantumuis de Hibernia conclamatum videatur, quamuis lignum eius aruerit, hierarchia marcuerit, vires defecerint, alieni robur eius comederint, & ipsa sciente canis sit superfusa: tamen in verbo eius qui omnia quæ in cœlo, quæ in terra sunt instaurauit, omnia nostra instaurari possunt. Is qui iussit Petro rete relaxare in ca-
Gen. 1. pturam piscium, qui iussit aquas congregari in locum vnum vt appareret arida, qui ipsam aridam fecit germinare herbam virentem & facientem semen, & lignum

pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in seipso sit super terram: qui seruauit reliquias Israël in medijs Gomorrhæis, qui reliquit sibi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, ipse miserator & misericors Dominus potens est rebus nostris desperatis succurrere, fatiscentes artus consolidare, láguescentes innouare artes & disciplinas & *secundi mundi semina paruo ligno concredita & in aquis conseruata* in tuto collocare, vt impietatis diluuium effugiant, suamque Hiberniam salutis arcam efficiant. *Rom.11. 4.* *Nazianzenus de S. Basilio.*

Magna paruus eloquor: & quid nos, qui ista vel sperare audeamus? quomodo & per quos ista essent magnalia patranda? quid nos ad ista, nisi lanugo tenuis quæ in ventum dispergitur? nisi vapor ad modicum apparens, qui deinceps exterminatur, nisi fumus & virgula fumi, quę ab oculis in auras euanescit, nisi vestigium nubis & vmbra, quę non subsistit? Esto; sed ô si virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris ac pulueris pigmentarij ascẽderet de deserto, innixa super dilectum! ô si vestigium cordis boni, quod difficile inuenitur, & cum labore: non vestigium peccatoris, quo nihil est vanius, nobis dura calcantibus & molliora sperantibns appareret! Si vestigium nubis aut ipsa nubecula parua, in qua propheta vidit quasi vesti- *Cantic. 3. 6.* *Eccli. 13. 32.*

Elias 3 *Reg.* 18 44. grium hominis de mari aſcendens emicaret! ſi vmbra Petri quæ languidos obumbrando ſanabat, iacentes & apricantes attingeret.

Cogitoſ. c. 7. *Refertur de hoc Sãcta Brigida. cũ ſuas ope paſtorali paſceret oues in campeſtri loco herboſo, largitate nimia pluuiarum perfuſa, humidis veſtibus domum rediit, & cum vmbra ſolaris per foramina domum intrinſecus intraret, illam vmbram, obtuſa oculorum acie, arborem fuiſſe tranſuerſam & fixam putans, ac deſuper complutam veſtem ponens, tanquam in arbore grandi & firma, in ipſa tenui ſolari vmbra veſtis pependit. Et cùm ipſius domus habitatores vicini hoc ingenti miraculo fuiſſent perculſi, hanc incomparabilem dignis laudibus extollebant.*

Tunc erat ouium brutarum paſtorcula Sancta Brigida, quando madefactam chlamydem radius ſuſtinuit vmbraticus, maritauit vmbra radialis; in qua typus editur paſtoris animarum, qui licet excitatus é puluere & radio, licet ex proprio puluiſculus ſit aut pugillus atomorum, licet vmbra quædam & ſpecies ſine corpore, vt verè dicatur in imagine hominem pertranſire, tamen illa imago, illa vmbra, ille puluis pigmentarius, illi atomi fulciendo charitatis pallio, expandendæ tunicæ inconſutili, deſiccandæ veſti perplutæ, vt tegat, regat, & corrigat multitudinem peccatorum di-

uinitus seruire poterit.

Petri vmbra in officio Petri ex efficacia *Act. 5. 15.*
Christi infirmos iacentes in lectulis ac grabatis ab infirmitate dimisit; & vos dubitatis à Petri successore Christíque Vicario missi ad pascendas oues rationales, quin ipse vobis vice trabis ad sustentandum, vice baculi ad fulciendum, vice radij ad siccandum, fouendum, illuminandum vsui esse queat?

Qui dedit populo suo peregrinanti per desertum. columnam nubis per diem, ignis autem flammantis (forsitan & fumantis) per noctem, in vmbraculum pariter & ductum ignotæ viæ; qui dedit prophetam suum in columnam ferream & murum æreum regibus & principibus, sacerdotibus & populo: *Ierem 1. 18.* qui Ecclesiam suam dedit columnam & firmamentum veritatis: qui *Apoc. 3.* Angelo Philadelphiæ scribens hortabatur tenere quod haberet, vt nemo coronam eius acciperet; & tenenti vincentique spõdebat, quod illum faceret columnam in templo Dei viui. Ipse vos constituit philadelphos, fratrum amatores, a charitate fraternitatis inuicem diligentes. b Ipsi enim vos à Deo didicistis vt diligatis inuicem, c Ipsi animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore simplici ex corde inuicem diligitis attentius. De singulis vestrum me iuuat accipere

a Rom. 12. 10.
b Thess. 4 9
c Pet. 1, 22.

2 *Machab.* 15 Oniæ responsum Machabæo dicentis, Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate. Hic & ille, & iste Collegij Parisiensis alumnus, ille alter & alter Duacensis, Antuerpianus, Tornacensis: ille alius & alteruter Salmantinus, Compostellanus, Olyssiponensis & Hispalensis, non prætermissis Burdegalensibus, Tolosanis & Rothomagensibus: omnes sunt philadelphi, omnes Angeli pacis, & lega-tione pro Christo fungentes vt auersi conuertantur, redeant præuaricatores ad cor, reconcilientur peccatores Deo. Ostium magnum apertum est, & quamuis numero non pauci, tamen pauci operarij præ multitudine vobis aduersantium.

Apoc. 3. *Hæc dicit Sanctus & verus Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ, qui habet clauem* David:*qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Scio opera tua, ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum & non negasti nomen meum.* Verum est effatum hoc sancti & veri vatis de Hibernis & Hibernia. Modicam habet hæc virtutem, modica pollent illi fortitudine, si brachium carnis respiciamus: sed in Deo suo confisi seruant illi verbum eius, nec negabit illa nomen eius, abnegabit potius quæcunque cara habet & deside-

tabilia, quam vt abneget desiderium collium ęternorum cunctis gentibus desideratum.

Ostium igitur vobis patet ô pugiles alumni: intrate in hortum conclusum iam patente ianua: accedite ad puteum domus Dauid, haurite aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, irrigate arescentem Hierarchiæ vestræ arborem: vt reuirescat fructumque referat sicut in diebus antiquis: Agite, videamus ex vtraque parte fluminis & in medio plateæ duodenarium fructum ligni vitæ, cuius folia fuerant ad sanitatem gentium. Altare Brigidianum si reuiruit in symbolum prosperi successus id accipiamus; pedum sancti Patricij si perforauit Regis catechumeni plantam, verbo prædicatoris & signo crucis edito consanuit. Dæmones ipsi contremuerunt ad eius aduentum: & quod de lingua Pilati Chrysostomo teste, quod de ore malefici Balaam, quod de gutture energumenorum, elicuit Deus testimonium veritatis circa ortum & mortem Saluatoris mundi, ratione non prorsus dispari ex ore magorum de aduentu Patricij agnitionem eduxit. *Adueniet inquiunt in circulo tonsus cum suo ligno turno, cuius mensa erit in oriente domus suæ, populusque illius retrorsum illi astabit, & ex mensa sua nefas cantabit, & tota familia sua fiat, fiat respondebit. Hic autem cum aduenerit*

Ambrosius admittis iussu atque impulsu Dei edi nonnũquam veritatis testimoniũ à diabolo. Sermon. 91. vide August. 2 ad Simplic. q. 3. Iocelin. c. 32.

vide etiā Panegyric Thyrai de grat. mirac. p.100.

Deos nostros destruet, templa & altaria subuertet, turbas post se ducet, Reges sibi resistentes subijciet, aut è medio tollet, & doctrina eius in saeculum saeculi regnabit. quis ille in circulo tonsus, nisi noster Apostolicus praeco clericali corona insignitus? Quaenam illa in oriente mensa, nisi altare holocausti, mensa Dominici corporis & sanguinis, antiquo Ecclesiae ritu ad orientalem mundi plagam posita? quinam illi retro astantes, nisi populi circumfusi diuinis intendentes? quaenam illa familia responsans, nisi clerus qui assistit caelesti boatu resonans Hebraicum Amen? Quot ab illo deuicti Reges, & sub iugum Christi suaue deducti? quando & Regulos, & Reges vniuersos totius Pentarchiae legibus sponsi & sponsae subiecit? Quodnam illud lignum incuruum, nisi pastorale pedum intersigne Ecclesiasticae iurisdictionis, cuius in Hibernia non deficit successio filiis subnascentibus in locum parentum, & in eorum sede atque auctoritate succedentibus? Quaenam verò doctrina illa in saeculum duratura, nisi quae à sancto illo praedicata, & à sancta Brigida alijsque Sanctis vtriusque sexus culta, retenta, honorata fuit, & coletur, retinebitur, honorabitur in aeuum, stridentibus licet inferorum portis & frementibus tenebrarum potestatibus?

Nullus Nullus hinc enatus haeresiarcha, nulla

hæresis ita grassata, quæ vel successionem sacerdotum legitimam penitus impediret, vel occuparet mentes incolarum, vt non remaneret saltem vitalis fidei scintilla vel cineribus sopita, vel sepulta fauillis.

vnquã Hibernus noua hæreseos auctor.

Rectè illud à Ruffino obseruatum cum in diuersis Ecclesijs, puta in ipsis patriarchalibus Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana, Hierosolymitana in verbis symboli inuenta vel adiecta fuerint assumenta quædam asymbola, *In Ecclesia tamen vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego*, inquit ille, *propterea esse arbitror, quod neque hæresis vlla illic sumpsit exordium, & mos illic seruatur antiquus.* Gaudeat diu fœliciter, & gaudebit æternùm suo priuilegio matrix Ecclesia, sed filia fidelis sectabitur vestigia venerandæ matris; nec Hibernia patietur natricem venenatam, serpentem tortuosum, serpentem vectem ita in sua præcordia serpere, vt in illa incude cudat; vel ex illa extundat officina nouam aliquam sectam aut nouum dogma veritati repugnans quasi fœtum αὐτόματον heterodoxum ex suis genitum visceribus; posset quidem vim pati, & suppositiriam prolem admittere, sed ex se hactenus non peperit, nec, Deo protegente, pariet vnquam progeniem illam viperinam. Quin vt terra ipsa caret toto viperarum genimine; ita &

In exposit. symboli in principio.

terrigenæ illi carebunt iſta inuentione & generatione errorum & hæreſeon. Chriſti prouidentia concedet, & Patricij benedictio impetrabit, vt ipſi quidem ſperant, & veteres nonnulli ſcriptores ſpem eãdem illis fouent. In quem ſenſum accipi oportere quędam ſubobſcura verba Matthęi Vveſtmonaſterienſis, & aliorum de priuilegiis ſancto Patricio conceſſis pro vniuerſo Hiberniæ Regno, non deſunt graues auctores qui affirmant.

Sed quidquid de his intricatioribus dicatur, hoc ſaltem capiamus, quod ſine omni errandi periculo, & cum multo merito capi poteſt, à nobis noſtriſq; omnibus philadelphis, vt inſtar illius ſancti vatis, quem Onias appellauit amatorem fratrum, & multum oremus pro ciuitate ac populo noſtro, & multum allaboremus pro eius integritate vel conſeruanda vel reſtituenda.

Nec decet nos deterreri ab opere aggrediẽdo, ſiue rei in ſe difficultate, ſiue periculorum noſtrorum magnitudine, ſiue multitudine aduerſariorum. Dei benignitas, occaſio temporis, & Regis noſtri clementia vel mollire omnia vel amoliri poterit. Quid verò ſi ſecus fiat? Excutienda nihilominus pigritia, magnorum veſtigia terenda erunt, magnis inhærendum exemplis. Petrus & Iohannes ſilere iuſſi

Act 5. & 8.

non tacuerunt. Stephanus ante nimbum & ſub imbre crepitantium ſaxorum diſertus erat & officij tenax. Cum videret Paulus oſtium apertum, vidit ſimul aduerſarios multos. Cum Elias eſſet congreſſurus aduerſus pſeudoprophetas, non extimuit globū quadringētorum quinquaginta virorū ipſe ſolus innixus ſuper Deum ſuum, *3. Reg. 18.* prouocauit numeroſam cohortem ad inæquale prouocanti certamen: omnes illi vno impetu clamore, vociferatione in iram coorti, ad aram circūiecti, voto nutuq; ad mortem deſignabant Eliam, ſed ille firmior ſpiritu, cauſa melior, fortior auxilio, fælicior euētu, eludebat ſtupidos euocantes ſtipitem Deum ſuum Baal, & ſe cultris lancinantes, victos & confuſos dedit omnes internecioni. Nam cum illi ſurdaſtrum ſuum Deaſtrum nulla ſollicitatione valerent, ſiue è ſtrato dormiētem excitare, ſiue ex diuerſorio deuocare, ſiue ex itinere deducere, vt ſupinā in ara hoſtiam iam pluſquam meridiantem igniret: ipſe impolito lapide & opere tumultario cōſtructum altare, eique ſuperimpoſitum cum lignis ſacrificium infuſa madefecit aqua, fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris, ter quatuor hydrias in totam explens aggeriem, vt riui circūquaque currerent, cæloque derepente ignem exciuit, qui lambens omnia deuorauit, ho-

caustum, ligna, lapides, puluerem quoque & aquam quæ erat in aquæductu.

Hoc signum fidei prophetæ, alimentum spei debet esse nobis & cunctis posteris, vt in arduis quæ Deo auctore, & inspiratore capessenda erunt, in ipso iactemus cogitatum.

Illæ quidem aratiunculæ ambientes altare nos memores reddunt nostri, quod prehendimus, aratri; ne obuersis vultibus in sæculum respiciamus, cum retrorsum gradientes in statuam salis vertantur, trophæum infælicis & retrogradæ mulieris. Alijs quidem vsibus micam salis accipiamus; sed inter arandum inutilis est, nisi vt vertatur terra fructifera in salsuginem, Apage autem cultros illos pseudolorum incisores, apage nouaculas, & lanceolas ancipites, iamdudum illæ conuersæ sunt in vomeres.

Sybina venabuli genus, apud interpretes in Isaiam c. 2.

L. 3. cōtra Marcionem. c. 21.

Et concident machæras suas in aratra, & sibynas in falces, id est animorum nocentium & linguarum infestarum; & omnis malitiæ atque blasphemiæ ingenia conuertent in studia modestiæ & pacis. (verbis loquor Tertulliani) Et non accipiet gens super gentem machæram, vtique discordiæ, & non discent amplius bellare, id est inimicitias perficere, vt & hîc discas Christum non bellipotentem sed pacificum repromissum.

Disciplina pacis eius super vos orietur, „
& sedebitis in pulchritudine pacis. & in „
tabernaculis fiduciæ, & in requie opulen- „
ta. Beati qui seminatis super omnes aquas, *Isai.* 32
immittentes pedem bouis & asini. Beati 19. 20.
vos qui egressi ex omnibus Regni finibus non ex Vltonia tantum, Momonia, Lagenia, Conacia, & quæ in omnium meditullio est Media, non Boniæ, tantum aut Bouindæ aut Liffæi accolæ, non Birgi solum, aut Neorij, aut Surij trium sororum: sed qui Sinnæi, Bridæi, Drouæsij, aliorumque Hiberniæ fluuiorum oras accolũt, ripis adhabitant, ex omnibus istis egressi terminis transgressi Oceanum, ad frumentum comparandum & semen eruditionis ac doctrinæ salubrioris colligendum, conuasate in saccos, in patriam conuehite sementem, spargite super omnes aquas, super omnes populos grana fidei & disciplinæ salutis: immittite pedem bouis & asini; ducite sulcos, trahite stiuam per illas ripas & margines vobis notas, in quibus nati ipsi, pro quibus, & popularibus ac cognatis vestræ carnis, fideique agnatis arare, laborare, seminare non pigeat. Si frondatores estis & vinitores cum sancta Brigida vestra, sancto Columba, sancto Patricio; ecce in falces commutatæ sunt lanceæ ad vitem putandam, ad purgandam ficum, ad oliuam concinnandam. Sin autẽ cum iisdem ma-

gis libet agricolas esse, ecce gladij in vomeres conuersi sunt. Noua bella elegit Dominus. Nouate vobis nouale; nolite serere super spinas. Iam satis superque bellorum, simultatũ, tumultuum. Gaudium onagrorum, pascua gregum, donec effundatur super nos spiritus de excelso: & erit desertum in Charmel; & Charmel in saltum reputabitur. Et habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Charmel sedebit. Et erit opus iustitię pax, & cultus iustitiæ silentium & securitas vsque in sempiternum.

Isa. 32. 14.

Terra vestra concisa septis, intercisa pratis, circumcisa paludibus, conclusa syluis & saltibus, reclusa pascuis & seminatis, exculta plerisque locis, vix vllis nunc inculta, securitati sinum aperuit vndequaque, & secura vsquequaque foret, nisi Samsonem Dalila prodidisset, nisi Nazaræum semisopitum Philistæi oppressissent. Dum homines dormirent venit inimicus homo, & in medio tritici superseminauit zizania: Dicat Nazaræus elusus ab amasia, nisi arassetis in vitula mea non inuenissetis propositionem meam. Non venisset inimicus homo, vel si veniret non inuenisset propositionem, nisi vitula seducta & docta arare ac diligere trituram, fiduciarium suum proditione vendidisset. Segor illa quæ Lothum cum bina

Iudic. 14 18.

prole exterritum ab incendio Pentapoleos refouebat hoſpitio, iam hoſpitibus ſuis facta eſt nouerca Troglodytica. Et Hibernia, ſeu noua Segor, ſub Henrico ſchiſmatico Rege, ternario diſtincta tramite in vnum cœtum coaleſcens, ſeducta in comitiis; inducta eſt in ſchiſmatis originem: eademque ſub Elizabetha illapſa eſt profundiùs in voraginem: & vectes eius vſque ad Segor vitulam conternantem. Iſta vitula conternans in triplici populorum ordine Præſulum, Procerum & Communitatum, cæſariem Nazarei noſtri, quam licio plexuerat & clauo trabali circumligauerat, terræ ſemel defixit ſub Henrico: ſed ille è ſomno euigilans Philippo & Maria regnantibus, extraxit clauum cum crinibus & licio, ſeque reſtituit in libertatem: vbi verò poſtea ipſo pandente ſecretum, ſeptem crines conſecrati capitis Dalila Elizabetha eraſerat, cœpit abigere eum, & à ſe repellere, ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit.

Geneſ. 19.

Iſai. 4.

Iudic, 16.

Capillus de capite veſtro non peribit ô nouelli noſtri Nazaræi: renaſcetur amputata cęſaries: lignum quod præciſum eſt reuireſcet, non ad interitum Philiſthinorum, ſed ad ſalutem & decorem Nazaræorum, vt conuertantur ad Deum, qui ab eo auertere & peruertere contendebant.

Maximi hoc laboris & operæ pretium eſt, magnoſque requirit animos, magnam fiduciam & conſtantiam, vt obſtructa tot repagulis oſtia reſerentur: obſepti tot excubiis & ſatellitiis, aditus ſubintrentur; obſeſſa tot ſentibus, ſpinis & dumetis, arua repurgentur; deflorata tot arida oſſa, proiecti in ſterquilinium cadaueris, colligantur, & compaginentur.

Ita fateor. Sed ſpes alit agricolas, acuit frondatores, inſtitores excitat. Spes illa præſertim quæ Apoſtolo ianuam aperuit, licet non amotis aduerſariis: ſpes illa quæ ex propheta Iob, lignum defloratum iuſſit reflorere licet in terra ſenuerit radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ſpes illa quæ & S. Brigidam refocillauit, & Ezechielem deduxit in campum oſſibus plenum, & circumducens in gyro pręcepit ſic vaticinari de oſſibus illis multis & aridis. Oſſa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum & viuetis. Et dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuper extendam in vobis cutem: & dabo vobis ſpiritum & viuetis & ſcietis.

C. 38.

Quid verò tum poſtea: Et prophetaui inquit Ezechiel ſicut præceperat mihi: factus eſt autem ſonitus prophetante me, & ecce

ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam.

De neruis, carne & cute in hac cadauerosa nostra Hibernia, non libet modo subtilius exquirere, habent illa suam commodam interpretationem & symbolicam accommodationem; habet & fragor ille coeuntium iuncturarum, habet sonitus & commotio artuum ad compagem redeũtium; habet accessio ipsa commodum sensum: iam seposuimus machæras, gladios, & lanceas, omnémque armorum strepitum, quando ad falcem, stiuã, vomerem descendimus; cætera missa faciamus hac vice, solum attendamus spiritum, quo accedente reuiuiscet cadauer, reiuuenescet silicernium, reflorescet Hibernia; inclamemus cum Propheta in eodem loco. A „ quatuor ventis veni spiritus, & insuffla su- „ per interfectos istos, & reuiuiscent. „

In prima rerum genesi, spiritus Domini ferebatur quasi incubans aquis fæcundandis & vegetandis, in procreatione aquatilium, & volatilium: & vos fideles alumni, à quatuor ventis accedite: ex quatuor Hiberniæ prouincijs Ardmachana, Dubliniẽsi, Cassellensi, & Tuamensi aduolastis in hanc Academiã (& in alias alij vestri conciues) reuolaturi aliquando veluti columbæ ad fenestras vestras, veluti gallinæ ad pullos sub alas congregandos, veluti nu-

bes roridæ huc voláſtis, & cæleſti rore ad plenum imbuti, ſicca oſſa irrorabitis; ſiccam radicem irrigabitis: reciſos adunabitis ramos; oſſa diſperſa, neruos cartilagines, carnem, & cutem compingetis, & compaginabitis; ſpiritu oris veſtri, doctrina ſalubri, prædicatione fideli inſufflabitis in occiſos tabe vitiorum, vulneratos conſcientia peccati, diſperſos & diſſipatos errorum & ſchiſmatis contagione: vos vno ore, mente vna, vno ſpiritu inter vos charitate reuincti, & amore fraterno colligati; vos qui diligitis decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ illius, incumbite in opus veſtrum, incubate ouis, ex quibus pullos virtutum vigore plumeſcentes excludatis. poſthac non oua nobis, ſed oues credendæ erunt, non chortis gallinariæ, ſed animarum ouilis cura erit committenda.

Epheſ.4 Obſecro vos ego vinctus in Domino, vt
1.2.3.4. dignè ambuletis, vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Hic eſt ille ſpiritus almus, ſpiritus ille vegetans & viuificus, qui inſufflabit in corpus emortuum vt reuiuiſcat, in radicem ſemienectam vt repullulet, in lignum altaris aridum vt reuireſcat.

" Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſ- *Ibidem.*
" ma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt *v.6.*
" ſuper omnes & per omnia & in omnibus
" nobis, ipſe nos in ſpiritu vnitatis vocauit ad vnitatem conſeruandam, propagandam & dilatandam; atque vtinam cum libertate vobis liceret in eam rem excubare: Optaretis non dubito ipſi vinciri, dum alij liberi eſſe poſſent, ad munia Catholica obeunda: laici ad capeſſendam, Eccleſiaſtici verò ad diſſeminandam veritatis doctrinam, & diſciplinam vnitatis. Nondum illis
" iſta impunitas, nec vobis vel immunitas
" indulgetur. Extorres eſtis, ſpontaneo tamen plerique exilio extorres, domo, patria, parentibus, propinquis & amicis; Extorres, & tanquam rapti torres ab incẽdio: ſed in refugium veniſtis & refrigerium ab ardore vos perſequentium; in portum & fidam ſtationem veniſtis à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate; in hoſpitium & aſylum veniſtis ſuſcepti ſub alas huius Monarchiæ Gallicanæ. Reformemur ſenſu, renouemur ſpiritu, refloreamus tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum; ſi ſenuerat in terra radix noſtra, ſi in puluere truncus emortuus, germinemus ad odorem aquæ viuæ, puræ, perennis, ſalientis in vitam ęternam; faciamus comam ſicut ab initio; Recordemur petræ vnde exciſi ſumus, oliuæ in quam inſerti, ſicul-

neæ sub qua reclinati, vitis cuius obumbrati frondibus, refecti vino, vuis saturati. Si radix sancta & rami, si delibatio sancta & massa. Delibemus maiorum nostrorum pietatem, constantiam, fidem, veritatis zelum; sectemur concordiam, pacem, charitatem, quæ est vinculum perfectionis: coniungamus cum studio litterarum studium virtutis, cum scientia conscientiam: Copulemus liberales artes cum arte liberandi animas: *Ars artium est regimen animarum: & diuinorum omnium diuinissimum, cooperari Deo in salutem earum.* Caueamus ne lignum scientiæ boni & mali retrahat nos à ligno vitæ.

Gregor.
S. Dionysius Areop.
Bonau. in proem stimulus diuini amoris.

Ecce hodie reuiruit lignum aridum attactu nostræ Tutelaris S. Brigidæ, attingamus ad eius cultum floridiorem excitandum. Reflorescant tres illi nobilissimi stolones Ecclesiæ Hibernicæ, Patricius Hierarcha, Cœnobiarcha Columba, & Virginum virago sanctissima Brigida Kildariensis. S. Patricius in stola Pontificali, cum infulis honoris, mitra decoris, pedo iurisdictionis, cum illo suo baculo Iesu (de quo S. Bernardus) in omnes latè dominans, & lætè gubernans commissam sibi caulam totius gregis Hiberniæ. Sanctus verò Columba, in stola palmari, insignis Archimandrita instituti regularis ac vitæ Monasticæ: Beata denique Brigida, in stola Virginali Monia-

lis castimoniæ cum sua schola Ascetica virginum Christi sponsarum; Nequis ordo, gradus, aut sexus benigno ductu careret, dignoue ducatu in Ecclesia nostra Nationali. Hi stolones sancti iam stola immortalitatis induti, haudquaquam nos destituent: de cæli specula contuentur nos humi stratos ipsorum clientes, & supplices in vota oratores: intuentur publicas Catholicorum calamitates, priuatorum ærumnas, suspiria fidelium famulorum. Adspiremus Deo, suspiremus ipsis, conspiremus mutuis honorificentiæ amoris, obseruantiæ studijs, ac deuotionis obsequijs; vt cæli in auxilium nostrum inclinentur, in tuitionem patriæ nostrę, restitutionem Ecclesiæ nostrę, & in auitæ, Catholicę, Apostolicę, veréque Romanę religionis publicam ibidem & liberam professionem: Inclinentur in fauorē, tutelam, & protectionem benefactorum huius Collegij, primarij pręsertim Mecænatis, & sperati fundatoris: inclinentur in exauditionem votorum vestrorum pro vera, matura, solidaque imitatione beatissimæ Brigidæ, aliorumque nostrorum Tutelarium, quorum vt in terra sanctitas resplenduit: ita eorum in cęlo regnātium patrocinio & precibus nos ipsos nostrosque omnes, & omnia Ecclesiæ Catholicæ negotia commendamus; & signanter statum Insularum Britannicarum, ac regi-

bes roridæ huc volâstis, & cælesti rore ad plenum imbuti, sicca ossa irrorabitis; siccam radicem irrigabitis? recisos adunabitis ramos; ossa dispersa, neruos cartilagines, carnem, & cutem compingetis, & compaginabitis; spiritu oris vestri, doctrina salubri, prædicatione fideli insufflabitis in occisos tabe vitiorum, vulneratos conscientia peccati, dispersos & dissipatos errorum & schismatis contagione: vos vno ore, mente vna, vno spiritu inter vos charitate reuincti, & amore fraterno colligati; vos qui diligitis decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ illius, incumbite in opus vestrum, incubate ouis; ex quibus pullos virtutum vigore plumescentes excludatis. posthac non oua nobis, sed oues credendæ erunt, non chortis gallinariæ, sed animarum ouilis cura erit committenda.

Ephes.4. 1.2.3.4. Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis, vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Hic est ille spiritus almus, spiritus ille vegetans & viuificus, qui insufflabit in corpus emortuum vt reuiuiscat, in radicem semienectam vt repullulet, in lignum altaris aridum vt reuirescat.

" Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſ- *Ibidem. v.6.*
" ma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt
" ſuper omnes & per omnia & in omnibus
" nobis, ipſe nos in ſpiritu vnitatis vocauit ad vnitatem conſeruandam, propagandam & dilatandam; atque vtinam cum libertate vobis liceret in eam rem excubare. Optaretis non dubito ipſi vinciri, dum alij liberi eſſe poſſent, ad munia Catholica obeunda: laici ad capeſſendam, Eccleſiaſtici verò ad diſſeminandam veritatis doctrinam, & diſciplinam vnitatis. Nondum illis iſta impunitas, nec vobis vel immunitas indulgetur. Extorres eſtis, ſpontaneo tamen plerique exilio extorres, domo, patria, parentibus, propinquis & amicis; Extorres, & tanquam rapti torres ab incẽdio: ſed in refugium veniſtis & refrigerium ab ardore vos perſequentium; in portum & fidam ſtationem veniſtis à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate; in hoſpitium & aſylum veniſtis ſuſcepti ſub alas huius Monarchiæ Gallicanæ. Reformemur ſenſu, renouemur ſpiritu, refloreamus tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum; ſi ſenuerat in terra radix noſtra, ſi in puluere truncus emortuus, germinemus ad odorem aquæ viuæ, puræ, perennis, ſalientis in vitam æternam; faciamus comam ſicut ab initio; Recordemur petræ vnde exciſi ſumus, oliuæ in quam inſerti, ficul-

neæ sub qua reclinati, vitis cuius obumbrati frondibus, refecti vino, vuis saturati. Si radix sancta & rami, si delibatio sancta & massa. Delibemus maiorum nostrorum pietatem, constantiam, fidem, veritatis zelum; sectemur concordiam, pacem, charitatem, quæ est vinculum perfectionis: coniungamus cum studio litterarum studium virtutis, cum scientia conscientiam: Copulemus liberales artes cum arte liberandi animas: *Ars artium est regimen animarum: & diuinorum omnium diuinissimum, cooperari Deo in salutem earum.* Caueamus ne lignum scientiæ boni & mali retrahat nos à ligno vitæ.

Gregor. S. Dionysius Areop. Bonau. in præm stimulus diuini amoris.

Ecce hodie reuiruit lignum aridum attactu nostræ Tutelaris S. Brigidæ, attingamus ad eius cultum floridiorem excitandum. Reflorescant tres illi nobilissimi stolones Ecclesiæ Hibernicæ, Patricius Hierarcha, Cœnobiarcha Columba, & Virginum virago sanctissima Brigida Kildariensis. S. Patricius in stola Pontificali, cum infulis honoris, mitra decoris, pedo iurisdictionis, cum illo suo baculo Iesu (de quo S. Bernardus) in omnes latè dominans, & lætè gubernans commissam sibi caulam totius gregis Hiberniæ. Sanctus verò Columba, in stola palmari, insignis Archimandrita instituti regularis ac vitæ Monasticæ: Beata denique Brigida, in stola Virginali Monia-

lis castimoniæ cum sua schola Ascetica virginum Christi sponsarum; Nequis ordo, gradus, aut sexus benigno ductu careret, dignouè ducatu in Ecclesia nostra Nationali. Hi stolones sancti iam stola immortalitatis induti, haudquaquam nos destituent: de cæli specula contuentur nos humi stratos ipsorum clientes, & supplices in vota oratores: intuentur publicas Catholicorum calamitates, priuatorum ærumnas, suspiria fidelium famulorum. Adspiremus Deo, suspiremus ipsis, conspiremus mutuis honorificentiæ amoris, obseruantiæ studijs, ac deuotionis obsequijs, vt cæli in auxilium nostrum inclinentur, in tuitionem patriæ nostrę, restitutionem Ecclesiæ nostrę, & in auitæ, Catholicę, Apostolicę, veréque Romanę religionis publicam ibidem & liberam professionem: Inclinentur in fauorē, tutelam, & protectionem benefactorum huius Collegij, primarij pręsertim Mecænatis, & sperati fundatoris : inclinentur in exauditionem votorum vestrorum pro vera, matura, solidaque imitatione beatissimæ Brigidæ, aliorumque nostrorum Tutelarium, quorum vt in terra sanctitas resplenduit: ita eorum in cęlo regnātium patrocinio & precibus nos ipsos nostrosque omnes, & omnia Ecclesiæ Catholicæ negotia commendamus; & signanter statum Insularum Britannicarum, ac regi-

Isa 40, 12. minis earum: vt summus Deus, qui mensus est in pugillo aquas, abstergat omnem lachrymam ab oculis vestris & vestrorum: qui appendit tribus digitis molem terræ, auferat molem grauaminum è terris illis, & terminis Catholicorum; qui librauit in pondere montes, & colles in statera, liberet affectum à fuligine, & à caligine intellectum eorum omnium, quorum imperij subestis ponderi, & imperata vel agendo exequimini, vel patiendo redimitis; ille supremus mundi monarcha, in cuius manu sunt corda Regum, & præcordia Regentium, sic regat mentem Regis nostri, & eorum qui proximè illi assident, vt praua ducant in directum, & aspera in vias planas; & terrena sublimitas non reluctetur magis ætheréæ celsitudini, quæ nouit quum voluerit; montium inclinare cacumina, & profunda vallium perimplere.

PRAETERMISSA IN prima parte.

LEctori in historia præsertim sacra versato, statim occurrẽt hiatus in ista dissertatiuncula & voragines, quas benigno obstipabit iudicio, si dignabitur aduertere eandem incudi præreptam, ad quam reuocanda esset, nisi antequam nascaretur, nata fuisset; vt typis quodammodo

velocius ſubdita eſſet, quam ex onuſto au-
ctoris pectore ederetur; certè citius, quàm
vt ſecundinis exutam aut menſtruo fluore
expurgatam, poſſet ſordes parturitionis
abluere, vel vmbilicum præcidere præcox
editor. Implumem igitur pullum dum re-
cipis volitantem tibi in gremium, ante-
quam plumeſcat alis, roſtrove indureſcat;
concipe hinc, & vbique prodigium noſtræ
Thaumaturgæ: ſed hoc ordinis alterius ab
iis, quæ de eadem ſanctiſſima virgine retu-
limus in præliminari encomio ipſius; cuius
originem, parentelam, natalem, vitam,
mortem ſi adhuc mente pendula ſuſpe-
ctam habes, conſule quos hîc indigito
auctores. Laurentium Dunelmenſem à
Laurentio Surio paraphraſticè editum de
rebus geſtis Sanctæ Brigidæ. Item Cogi-
toſum Henrici Caniſij à Cardinale Baro-
nio memoratum, cæteriſque antelatum in
Notationibus Martyrologij Romani, &
eundem Baronium Annalium Eccleſiaſt.
tom. 7. Porrò ex veteribus, Marianum Sco-
tum ad an. 522. & Sigebertum ad an. 512.
Iocelinum de Furneſio in hiſtoria S. Patri-
cij. Gyraldum Cambrenſem in Topogra-
phia Hiberniæ d. 3. c. 18. Boninum Mombri-
tium tom. 1. vt omittam alios recentiores, C. 95.
Haræum, Lipeloum, & alios Sanctilogos 187.
1. Februarii. Guil. Camdenum in Cho-
rogr. Hiberniæ. &c.

Ex his & quod in primis nominandum erat, ex officio Ecclesiastico eiusdem sanctæ, tam Manuscripto quam typis vetustissimis excuso, intelliges parentes virginis è prouincia Lageniæ Dubtachum & Brotsecham. Locum natalem Fachardam in diæcesi Armacana intra tertium lapidem, à Dundalcia. Cœnobium monialium nominatissimum ab ea conditum in campestribus Kildariæ, non procul à Liffæo amne, quem Ptolomæus Libnium vocat, visiturque in oppido Kildariæ sacelli parietina, vbi sacrum adytum inextincti olim ignis nullo excrescente cinere, situm perhibetur. Ipsa eiusque conuersatio sanctissima cum S. Patricio, passim apud omnes celebratur, à quo instructa fuit; sicut à Macca siue Machilla Episcopo velata; nota & cara sancto Brono Antistiti, quem in plena synodo Hiberniç liberauit à calumnia. Sancto item Conleatho, cuius erat fidelis depositaria. Regibus etiam & Magnatibus in Hibernia, quorum iurgiis & simultatibus sæpe finem imposuit. Denique hęc ipsa Antistita pręparauit nendo & texendo propriis manibus syndonem, qua corpus sancti Patricii inuoluit in monasterio Saballino, tradendum postea sepulturæ in Ecclesia Dunensi; in qua etiam Ecclesia ipsa tandem meruit inhumari iuxta sanctum Patricium & sanctum Columbam, tribus

exuuiis sacris in triplici cauerna concamerata & contigua fœliciter reconditis, de quarum translatione proprium habetur festum in Breuiariis antiquis Ecclesiæ Hibernicæ.

Eius vitam admirabilem, & quomodo arborem suis precibus loco transtulerit: flumen alueo diuerterit, lapidem molarem ex summo montis vertice deduxerit, fæminam impudicam incæstuosis amoribus liberauerit; in pluuia sudum obtinuerit cœlum, agrestes feras cicurauerit, & feros homines mansuefecerit, aliaque multa supra vires humanas, freta Deo perfecerit, ex historiis rerum ab ea gestarum luculenter cognoscitur, quas videre ex parte licet in nouissima Surij editione. 1. Februarii vt dictum est.

Et quoniam eius sanctitati obgrunniunt Centuriatores ex hara Magdeburgensi, audiamus Alani Copi Harpsfeldium, qui eorum grunnitui sic doctè reclamat.

DIALOGO 2. Ca. 22.

„ ISTis verò hominibus, & Brigida non so- *Centu-*
„ lùm apud Scotos, Anglos, & Hibernos, *ria.*
„ sed per reliquum orbem, dicatis ei vtique *cap.*
„ templis celeberrima, maga tamen est. Sed

„ quare ô boni Theologi? quia scilicet per „ aquam lustralem, lapidem in salem con„ uertit; & cæco nato visum restituit, & a„ quam in ceruisiam mutauit: Hæccine ma„ gæ opera, & non potius sanctissimę fœmi„ næ censenda? &c. Nunc quid superest nisi „ vt Christum quoque, vt olim Ethnici, ma„ gum scelerate appellent, qui aquā in vinū „ generosum trāsmutauit? At hæc omnis ma„ ledicentia propter aquam lustralē nata est.

Prætermissa in 2. parte.

In primo membro huius secunda partis, locus erat opportunus exponendi Apostolatus multorū Hibernorū, suffulcientibus Apostolicā eorū peragrationē Christianissimis Galliarū Regibus, vt sedentes in tenebris idololatriæ, & in vmbra mortis sepulti populi assererentur in lucem & libertatem filiorū Dei. Nam vt Theodoberto Austrasiorū Rege suggerēte, Sueuorum populos idolorum cultui deditos, lucrifecit Colūbanus: Ita eiusdem nepos S. Gallus, Alpium Rhætiarum incolas & Brigantini lacus accolas, Sigeberto rege Galliarum subueniēte, cum Gonzone Duce conuerterat: Sic vtriusque discipulus ac conciuis Magnoaldus Hibernus, parili munificentia Regum Galliæ suffultus, opus euangelicum à magnis magistris inchoatum, cum suo cooperatore & conterraneo Theodoro feliciter prouexit.

Sed præclariſſima eſt illa Virgilij Hiberni ad Carinthios profectio, quæ immittente Pipino Rege ſuſcepta ab illuſtri zelatore diuini honoris, ſic celebratur in hiſtoria de rebus ab eo geſtis.

Beatiſſimus Virgilius in Hibernia inſula, » de nobili ortus proſapia, litterarum ſtudijs » ita animum applicauit, vt inter doctos ſui » temporis & climatis, doctiſſimus haberi » potuiſſet. Morum etiam honeſtate nihilominus clareſcere ſtuduit; & tamen non » virtute relicta, inuidiam quorumlibet placando, dictum illud exoptabile in ſe dignè » meruiſſet transferre. Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione » eſt, cuius nomen exquiretur à generatione in generationem. Vt itaque Dominus » miſericordiam ſuam à progenie in progeniem oſtenderet, ſeruum ſuum Virgilium, » ſtrenuum vtique Dominicæ vineæ plantatorem, & futurum CARINTHIÆ Apoſtolum, de natali ſolo Hiberniæ ad Franciam miſit: vbi ab Illuſtri Rege Francorum » Pipino, qui Maior-domus dicebatur, apud » Cariſiagum honeſtè exceptus fuit. Et quia » litterarum ſcientia cum morum honeſtate in ipſo exuberauit, Rex eum ſicut tubam » Euãgelicæ prædicationis libenter audiendo, ſecum fere duobus annis propter amorem Dei retinuit. Temporibus verò Ottilonis Ducis Bauariorum, qui tunc cum to- »

„ ta Norica prouincia subiectus fuit prædi-
„ cto Regi Francorum, Salzburgensis Ec-
„ clesia, quæ ab antiquo vocabulo à iuuan-
„ do dicta fuit Iuuania, proprio carebat E-
„ piscopo. Sed Rex Pipinus, princeps per
„ omnia Christianissimus, ad incrementum
„ Ecclesiæ non modico suspirans desiderio,
„ Episcopatum Salzburgensem pro debito
„ regiæ magnificentiæ, sancto concessit Vir-
„ gilio, eumque prænominato Duci Nori-
„ corum, vtpote amico carissimo, transmisit
„ summo cum honore excipiendum. Vir ita-
„ que Domini dissimulata ordinatione, fer-
„ me duorum annorum spatiis, habuit secum
„ laboris & coronæ participem Episcopum
„ comitantem de patria, nomine Dobda, ad
„ persoluendum Episcopale officium. Postea
„ ad instantiam populi, necnon assidua Coë-
„ piscoporum suorum cohortatione indu-
„ ctus, ab ipsis vnctionem Episcopalem susci-
„ pere consensit, ordinatusque est à prouin-
„ cialibus præsulibus Anno Natiuitatis Do-
„ mini, 767. xvii Calendas Iulij &c. Vita eius
prolixè conscripta est à discipulo sancti
Eberhardi Salzburgensis, & ipse Virgilius
in sanctorum Canonem adscriptus dicitur
à Gregorio ix. Pontifice, vt ex veteribus
monumentis probat Baronius, vide Su-
rium. 27. Nouembris, in editione Colo-
niensi. Anno 1618. & Henricum Canisium
tom. 2. Antiquæ lect.

Hæc pauca hoc loco tametsi cursim annotanda erant pro supplemento prætermissorum. In primo membro secundæ partis, quæ etiam secundo membro proliteraria communicatione ex parte subseruiêt, quibus in cumulum addi possunt, quæ habet VValafridus Strabo de sancto Gallo, eiusque industria in educandis Ecclesiæ opitulatoribus, præsertim Iohanne Diacono, qui postea factus est Episcopus Constantiensis, pro discipulo spondente præceptore, in consessu Synodi Prouincialis multorum Antistitum, & prærogatiuam vocis suæ deferente Gunzone *Duce*, simul etiam instantibus Episcopis, vt onus ipse Gallus subiret; quod constanter recusauit.

Et huic affine est alterum Magnoaldi Hiberni exemplum, qui Tozzonem presbyterum à se instructum doctrina & pietate ad Augustanensem Episcopatum fecit promoueri. Sed illustrissimum est testimonium Theodori Campidonensis Abbatis, qui vtrique coæuus erat: ita enim scribit de S. Gallo, eiusque famulo ac discipulo sancto Magno: Cœperunt tunc temporis ædificare Ecclesiam beatus Gallus & Magnoaldus, construere monasterium, mansiones per gyrum ad commanendum, fratribus præparare, suffulti Regis Sigeberti & Ducis Gunzonis adiutorio. Construxerunt

C. xi. *vita sancti. Mag* 6. *Sept.*

„ ergo monasterium miræ magnitudinis, & „ fratres *inibi coadunatos, doctrina & exemplo* „ *ad æternæ vitæ desideria concitauerunt.* Oth- „ marum puerum ex Alamannorum genere „ curiose nutrientes, atque doctrinâ Gram- „ maticæ artis, seu diuinorum librorum eum „ erudientes, *Magistrum scholæ constitue-* *bant, &c.* Ex his collige monasteria Hibernorum illis diebus gymnasia fuisse; & gymnasia vice versa monasteria, quod ex Trithemio produximus mēbro secundo.

Prætermissa in 3. membro 2. partis.

Et pro tertio membro, in quo agitur de ciuili societate & commercio inter alios Europæos & Hibernos, cùm ex Tacito liqueat, magnis vsibus aptam natam Hiberniam inuicem miscere valentissimam Imperij partem, audi Clarentium fæcialem de Brigantibus, siue illos cum Floriano del Campo ex Hispania in Hiberniam & hinc in Britanniam profectos, siue ex Brigantio ad Rhenum apud Theodorum, Vvalafridum, Ionam, siue ex Brigantibus Alpinis grassatoribus; siue ex ijs qui vicinam Britanniam insidebant primitus: optionem aduocat ac suffragatorem sententiæ suæ eruditissimum Thomam Sauilum, iudicantem Brigantes nonnullos iam inde à Romanorum aduentu in Hiberniam secessisse, alios quietis & otij cupidine ad-

Camdenus in Brigantibus.

ductos;alios vt oculos a contagione dominationis Romanę inuiolatos haberent, alios denique,ne quam libertatem à natura pueri acceperāt,ſenes voluntate amitterēt.

De ſancto Auſberto Rothomagenſi. In Alto-monte exulem illum vixiſſe tempore Vincentij ex hiſtoria illius loci indicat Molanus in Natalibus. Sub Halidulpho autem Abbate id aſſerit accidiſſe Angradus Monachus: Sed ex inſpectione ipſius hiſtoriæ, quę mihi ad manum non eſt, haurìri poſſet conciliatio iſtius in ſpeciem diſſonantiæ. *pag. 52 vſ. 20.* *14 Iulij* *9. Februarij.*

De Normannis 3. M. 2. partis.

Sed quid de Normannis illis, qui tempore Caroli M. Hiberniam infeſtabant, vt ex Antiquis habetur Francorum Annalibus? Nondum Rollo cum ſuis agminibus in Neuſtria ſedem fixit, cum Normanni illi, de quibus ſcriptor coætaneus apud Pythæum, auctor hiſtoriæ de Carolo M. refert in hunc modum. Claſſis Normannorum Hiberniam Scotorum inſulam aggreſſa, commiſſo prælio cum Scotis, innumerabilis Normannorum multitudo extincta eſt. Hos enim Normannos, id eſt ex aquilone homines, vel pro Noruegis accipiēdos ex mente Camdeni, vel quod parū *Annales Regum Franciæ per vetuſtū ſcriptorem Benedictini ordinis, ita rem hanc referūt. Claſſis Normannorum Hiberniam Scotorū inſulam aggreſſa, commiſſoque cum Scotis prælio, parte non modica Normannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reuerſa eſt.*

parum discrepat, pro Danis ex Cymbrica Chersonesso existimo; fauetque apud eundem Pithæum vnus è duodecim coætaneis scriptoribus, qui ad annum Christi 812. Classis, inquit, Danorum Hiberniam aggressa, à Scotis prælio superatur. Meliori loco stabant fœdera Hibernorum cum Carolo imperatore illa ætate, quàm vt ab eius subditis, socij & amici lacesserentur iniusto bello. Vnde etiam eosdem Hibernorum inuasores & infestatores pro hostibus habuit, ipsosque hostilem in modum insecutus est, vt ex Eginharti verbis liquet.

" Molitus est & classem contra Normannos, " ędificatis ad hoc nauibus iuxta flumina, " quæ & de Gallia & Germania, septentrionalē influūt oceanum: & quia Nordmanni " Gallicum littus atque Germanicum assidua infestatione vastabant, per omnes " portus & ostia fluminum, qua naues recipi posse videbantur, stationibus & excubiis dispositis, nequa hostis exire posset, " tali munitione prohibuit. "

Hibernos verò nostros in fidem, tutelam, & clientelam suscepit: de quibus sic idem Eginhartus.

" Auxit (nempe Carolus) gloriam Regni sui, quibusdam Regibus ac gentibus " per amicitiam sibi copulatis: Adeo namque Aldefonsum Galetiæ atque Asturiæ " Regem sibi societate deuinxit, vt is cum "

ad eum

vel litteras vel legatos mitteret, non aliter „ se apud illum quã proprium suum appel- „ lari iuberet: Scotorum quoque reges, sic „ habuit ad suam voluntatem per suam mu- „ nificentiam inclinatos, vt eum nunquam „ aliter quam Dominum seque subditos ac „ seruos eius pronunciarent. Extant Episto- „ lę ab eis ad eum missę, quibus huiusmodi „ affectus eorum erga illum indicatur. „

Itaque affectus amicitiæ, & societatis tessera erat, illa humanitate plena litterarum transmissio, non autem illiberalis alicuius seruitutis aut subdititię mancipationis auctoramentum, vel in Rege Aldefonso, vel in Regibus Hibernię, quos munificentia sibi deuinxit in societatem; & in gloriæ suæ cumulum amicitiam cum illis copulauit.

Bene autem & accuratè signauit Eginhartus Scotorum Reges in numero multitudinis. *Neque enim vnum est in Hibernia Regnum, sed diuisa in plura*, inquit B. Bernardus. Tunc vtique Pentarchia erat regnorum quinque: sicuti aliquando, Anglia heptarchia, & Gallia ipsa, cum ibi versaretur sanctus Columbanus Triarchia erat; quæ mox conflata est in Monarchiam sub Clothario, sublatis Theodorico cum Sigiberto filio, & fratribus quinque, ac patruo Theodeberto in clericum attonso. *In Malachia.*

CARMEN THALASSICVM Inuocatorium B. Brigidæ Virginis, & Patronæ Regni Hiberniæ.

Brigida Hibernipetas, quæ ducis in æquore classes
Te sibi ductricem nostra carina petit.
Eurus Hyperboreis alternans flatibus auram
Inflat in occiduum carbasa tensa latus.
Ante sed ex oculis quàm gleba Aquitanica nostris
Egressa est pelago subijciēda suo.
Inguine succusso latebrosa carina fatiscit,
Atque subintrantes rima capessit aquas.
Brachia remigibus sentina repanda fatigat,
Inque suas veniunt acta redacta vices.
Clepsydra deciduas quoties discreuit arenas,
Fundit inexhaustum fistula puppis onus.
Nec tutum est regredi ad littus, nec pergere tutum:
Vnica res miseris tuta, vouere Deo.
Vouimus, alme pater, ne despice vota precantū;
Sed, duce te, optatum dirige nauis iter.
Brigida Hibernigênū supplex pro gēte precatur;
Virginis hæc pietas, quod petit, accipiet.

In periculo naufragij constitutus pangebat eidem Virgini patronæ suę indignus ipsius cliens D. R.

Brigida, quem rapidis mirè tutauit ab vndis,
Hunc, vt ab hoste precor protegat ipsa tetro.

I. Ley.

DE SCRIPTORVM Scotorum nomenclatura à Thoma Dempſtero edita præcidaneum.

VIx mihi de manibus in prælum illapſa Brigida Thaumaturga, cum iſta ſe in conſpectum daret ſcriptorum Scotorum nomenclatura à Thoma Dempſtero Bononiæ in lucem edita. Quã perfunctorio cum tranſcurrerem oculorũ coniectu, multum mirabar iudicium hominis Caledonij, qui cum multum erret à limine, ſi eum ad rectũ limitem velis reducere, protinus reuocandus erit ad prima elementa dedocenda quæ malè docuit. In eoque duplex merebitur Magiſter didactrum; vt prauè inſtitutus auditor dediſcat omnia quæ prius didicerat erraticè, rectius poſtea inſtituendus.

Hoc verò vt fieret iuſta catalogi recognitione opus eſſet, vt totius Alphabeti ſingula elementa recenſerentur. Et certè ſi mihi non deeſſet, quæ multis ſupereſt à negotijs vacuitas, & copia ad manum eſſet librorum, qui neceſſarij videri poſſent ad perpoliendam recenſionem iſtius nomenclationis, non illubenter incumberem in hanc recognitionem, vt nihil aliud me huc impelleret (cum multa meritò moueant)

quam vt à S. Brigida prohiberem vim & iniuriam Scoticæ iſtius inuaſionis, qua neſcio an maiori fraude, vel minori fronte abducitur ab iſto Nomenclatore è ſua planitie Lagenienſi in ſyluam Caledoniam, per colles & ſcopulos Pictіcos.

Sed otio deſtituor & apparatu; Atque vtroque impedimento detentus hærebam ipſe, magiſne expediret parum quam nihil dicere: Sed eo demum propendebam, amicè præmonendum eſſe nomenclatorem, ne ſibi perſuadeat impunè laturum à vicinis inſularibus, ſi ita pergat hiſtorias contexere, ſicut nomenclaturam conſarcinauit; quam ex libris xix. ſuis excerptam præfert; & lectores æqui non poſſunt ſatis mirari, ita eum ſerpere voluiſſe in alienos hortos, & vel inuitis vel inſcijs veris Dominis, decerpere lectiſſimos quoſque floſculos in ſuam corollam intexendos: vt ſi ſuos ſinguli repetant, eum relicturi ſint aridum & marcidum ἀνθολογον cum paucis admodum corollariis è ſuo tam ambitiosè cõcinnata corolla. Præcipuos legi ex illa natione qui aliquid ſcripſêre de illuſtribus viris in ſanctitate, eruditione, litteris: Iohannes maior in ſua Scotorum hiſtoriola in quibuſdam aberrauit à ſcopo quem petebat veritatis: ſed vt ſimpliciori ſtylo, ita meliori fide & certiori oculo ad eandem collimauit quàm Hector Boethius: cui

ſuccedaneam parauit operam Georgius Buchannanus, in poeſi quã in hiſtoria clarior. Et Iohannes Leſlæus Roſſenſis Antiſtes, ſiquidem ipſe vel Robertus Turnerus vulgatam elaborauit de origine, moribus, & rebus geſtis ſuæ gentis hiſtoriam; Leſlæo in multis vacillanti & hallucinanti Georgius Thomſonus humerum ſuppoſuit, qui vt fulciret malè materiatã fabricam, ponticulos ſubdidit arundineos; ſeque tibicinem dedit cæteris eo inſtabiliorem & debiliorem, quo ipſe omnibus authoritate dilutior, & iudicio ſterilior viſus eſt quibuſdam rectè & ſolidè eruditis.

De omnibus autem grauis illa erat & cenſore digna ſentẽtia doctiſſimi Theologi P. Edmundi Haii; cuius erudita de Caluini contrarietatibus elucubratio multorum manibus teritur: magnam iniuriam à Gentilibus ſuis factam nationi Hibernorum, quod ſanctos & illuſtres viros illis præreptos in ſuos referrent cenſuales & Catalogos, deceptis vtique vel decipere volentibus vmbrâ nominũ communionis, quod vtraque natio Scotorum notione aliquãdo ſignaretur, & vtraque inſula priſcis ſcriptoribus inter Britannicas cenſeretur: ſed ex adiunctis terminis, ſicuti agrorum limites internoſcuntur ſignis ſuis: ita vtraque gens & populus diſiungitur morum & temporum conſideratione. Cum dele-

ctu itaque & iudicii recti libramine legendos esse auctores, annales consulendos, annos, ętates, & tempora discernenda his qui errores non amant, & sponte nolunt coecutire in astruendo honore patrio, monuit venerandus ille censor suorum, & verus assertor natalitii decoris, & dignitatis quãtum per veritatem licere sibi putauit.

Quantum autem tribuendum sit eius in hac re iudicio, ex elogio eiusdem apud P. Ribadeneiram in Scriptoribus societatis perspici potest. Edmundus inquit Haius „ natione Scotus vir fuit valde religiosus, „ prudens atque eruditus: qui Collegii no- „ stri Claromontani Parisiensis, & Mussi- „ pontanæ Academiæ primus fuit Rector: „ factus Præpositus Prouincialis Franciæ „ prouinciã gubernauit, & Assistentis apud „ P. Claudium Aqua-viuam Præpositum „ Generalem munere functus est Romę in „ eoque munere decessit è vita. „

Si tam celebris & eruditus vir, id tũ adhuc sę superstite cẽsuit, quid iam dicturũ fuisse opinabimur, si vidisset nomenclaturã Thomæ Dempsteri; quã illum puderet, vel inscitię scriptori huic insitę, vel iniuriæ ab eo irrogatæ, non Hibernis solũ, sed & Anglis, & Cãbro-britannis, & aliis quorum coronam gloriæ capiti detrahit, suoque malè aptat occipitio; nullo quod ego quidẽ capio veri, æqui, aut iuris colore, quod in

iuris ciuilis & humanioris litteraturæ primario profeſſore nimis inciuile videri queat? In alienas autem laudes velle ſe induere quid aliud hoc eſt quam Horatianam æmulari monedulam?

Quod ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex auiũ plumas, moueat cornicula riſum.

Nollem ſanè Nomenclatorem hunc tametſi mihi incognitum, ita voluiſſe deſipere, vt ſe propinaret irridendũ tot agminibus eruditorum hominum, quorum non ſunt expertes illæ nationes, quibus ille iniquior eſt in expilandis ſacris ſcriniis, archiuis & Regeſtis. Non iam agitur de plagio leuidenſi, cuius in triuiales Magiſtellos rauca ſonant inſimulamina: ſed in virum Academicum pandectarũ iuris primarium profeſſorem, & cultorẽ humanitatis, auſu pœne ſacrilego inuolaſſe in ſacraria ſanctorum, cœliqueincolas beatos fraudare ſuo quem olim tenuerant, terreſtri incolatu. Doleo tam effrontem eum deueniſſe, vt prauas mulieres, quæ nothos ſupponũt fœtus, ſectandas ſibi duceret.

Auſim hoc dicere, ſi demas Hibernos, Anglos, Cambros, & cum his alios incertos, anonymos, Ethnicos, hæreticos, & pluſculos modernos, quorum magna pars adhuc ſupereſt, vt eorum videatur, vel auræ velificari, vel aurum appetere; in tam numeroſa & faſtuoſa ſcriptorum farragine

paucissimos fore reliquos, nec vnam forsitan ex omnibus integrandam centuriã, quos ille in tot classes Sanctorum, Paparum, Cardinalium, Regum, aut Regum filiorum, in tot Apostolos gentium, tot monasteriorum extra Scotiam fundatores, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Academiarum fundatores: viros in omnibus Europæ prouinciis, omni scientiarũ genere illustres, tanto fastu in limine distribuit.

Et cum Thomam Dempsterum ter repetat in sua Nomenclatura semel in valuis paginæ præliminaris; iterum sub vexillo litteræ Delta, tertio sub signo Tau, de quo Thomas Morus (non Moros) insigni luserat epigrãmate: ad quid ista eiusdem tam multiplex geminatio, nisi ad augendũ numerum, & ad fucum lectori faciendum? An vt ille olim telluris inutile pondus,

Nos numerus sumus, & fruges cõsumere nati.

Natusne ad hoc & notus? vt possit illud etiam accinere quod malè accideret naribus.

———————*Et nos quoque poma natamus.*

Mirum mihi videbatur quorsum ille tam operosè peteret, tam onerosam originem suorum scriptorum, vt vltra Christianum ...tiũ ad nostros Antipodas, Drui... Paganos penetraret, & no... Refugas, lumini & Numini ...ticos, in suum lustrũ & cen-

ſum redigeret; homineſque ſemiſses ac triobolares ita insereret in ſuum elenchum Scriptorum Scotorum, vt eos minimum reddat in omnibus Europæ prouinciis omni ſcientiarum genere illuſtres; qui tamen ad radium & puluerem affixi domi, vix Scotiam egreſſi, nec dum exuti ſcoream ſuæ obſcuritatis, in ſterquilinio vnde orti ſunt, inhæreſcunt.

Mirum etiam, quod recedens à tritis Sanctologorum veſtigiis, nouas carpit ſanctorum ſemitas, cæteris inuias ſibi tantum familiares. Nam cum ſanctos numeret ducentos ſeptuaginta quatuor, Pythagoreo ſilentio inuoluit, vnde iſtos tanto numero hauſerit, totque inter eos Pontifices, Reges, Cardinales, vt ſola nominis ſui auctoritate ex hiſtoria inuiſa, tanquam ex Iouis Dyphthera fides ipſi ſic dicenti accommodetur, & nouum Pythagoram Schola tota ſequatur. Sed cum domeſtici penoris tanta ſit penuria, quo fine reticuit, duos inſignitos martyres ſuæ extra controuerſiam nationis P. Ioannem Oglebeium è ſocietate Ieſu preſbyterum in vrbe Glaſquenſi in Scotia miris ad mortem excruciatum pro fide tormentis? cuius & incarcerationis & martyrij relatio typis Duaci tradita erat cū publica approbatione. Anno 1615. Et Ioannem Graium Ordinis Seraphici, qui referente Henrico Sedulio è patriâ

In Corollario historiæ Seraphicæ, p. 693.

» Religionis ergò profligatus, vt Deo quie-
» tius viueret in portum sancti Francisci ap-
» pulit. Et cum Geuzij Bruxellæ in clerum
» & magistratum seditionem mouentes om-
» nia cædibus temerarent, & rapinis; fugien-
» tibus è monasterio fratribus P. Ioannem
» solum reperientes, & pecuniá quam non
» haberet ab eo poscentes, sanguinarij car-
» nifices vulneribus duobus cæsim in capite,
» duobus item punctim in pectore pereme-
» runt. Anno Christi 1579.

Mirum denique cur his prætermissis in alienos manum immittat, quorum seriem si voluero relegere, implebunt geminabuntque Alphabetum.

Ex primis tribus litteris Nomenclaturę licebit totius coniecturam facere, quibus & vnde sit mercibus referta; & quorum faciat indicinam aromatum. Ex primo Alphabeti elemento, si restituamus Hibernis S. Andream Archidiaconum, Sanctum Adamnanum Abbatem cum aliis duobus homonymis, Sanctum Althonem, Aidanum, Adalgisum, Arbogastum. Airigenam, seu veriùs Erigenam; si Anglis & Cambrobritannis, suum Albanum, Alcuinum, Asaphum, Amphibalum, & Burgũdionibus Attalam, qui remanebunt in Catalogo, præter admodum paucos, nisi anonymi siue incerti; Apocryphi vel obscuri; moderni siue incogniti, & hæretici

ac damnatæ memoriæ?

Progrediamur ad ſecundam litteram B. ibi ex noſtris caſtris cogit ad transfugium Sanctos Baithenum, Bertuinum, Brandanum cum ſuo æquiuoco. Brigidam virginem. Barrum ſeu Finbarrum, ex Anglis Bedam, Boiſilium, Bonifacium: cæterorum ſpicilegium erit fere ex carduis, vrticis, aconyto. Similiter in littera C. ſi eximas noſtros homines Chillenum, Cainnechũ Congallum, Columbanũ, Colmanos, Chilianum, Colonatum, Caminum, Columbam, Cormacum, Cailtanum, Chriſtianũ, Claudium Clementem, Cogitoſum, cum quibuſdam aliis quos prætereo, Cuthbertum, quem Ioannes Maior, Cornelium, quem ipſe etiam Dempſterus fatetur Hibernicũ, & C. Sedulium plerique omnes. Claudiam etiam poetriam Camdenus & totus propemodum Anglorum cuneus ſuæ vindicant Britanniæ. Cæteram turbam qualem quæſo? quam ſubluſtrem, ſubleſtam, ſubopicam, ſubeream & ſubæratam? adderem adhuc & alia epithera, niſi ſubiratum Nomenclatorem in maiorem calorem & choleram coquendum vererer. Sed vereor magis ne illud Tullianum conueniat in eum vſurpari. Qui ſemel verecundiæ fines tranſilierit, cum bene & gnauiter oportet eſſe impudentem.

Reliquam Alphabeti ſartaginem nõ mo-

uebo. Ex tribus his elementis abunde intelligitur, quibus ſegmentis & teſſellis tota nomenclatura conſurgat. Cui in Catalogum Alphabeticum contextę poſſum opponere illuſtrium ſcriptorum Alphabetum, quorum authoritas vſu mihi veniat in aſſerendo vindiciarum iure contra iſtum Nomenclatorem: *S*. Adamnanus, S. Antoninus, Alcuinus, Arnoldus Vvion: *S*. Beda, S. Bernardus, Baronius, Bellarminus: Claudianus, Cambrenſis, Clithouæus, Camdenus, Campidonenſis, Cæſarius: Diſibodus Sanctæ Hildegardis, Dionyſius Carthuſianus, Demochares; Eiſengrenius, Ericus Antiſiodorenſis; Franciſcus Diacetius, Gaſpar etiam Bruſchius & Ioannes Balæus (ſi ex illis caſtris velim deſumere) Guillelmus Malmeſburienſis, Huntingtonus Archidiaconus, Gallus Strabonis, Haræus, Henricus Caniſius; Iſidorus Hiſpalenſis, Ioannis Sicardi Cælius Sedulius; Lipomanus, Lipeloüs, Laurentius Dunelmenſis, Ioannes Molanus, Marianus Scotus, Nauclerus, Oroſius, Probus, Ptolomæus; Pitſæus, Quiliani vita, Ruffinus; Roſierius, Rogerius Houeden; Sigebertus, Thomas Bozius, Thomas Vvalſinghamus, Tertullianus, Trithemius, Vvalafridus Strabo, & alij complures, quorum vel minimus Dempſtero maior eſt, quanto magis omnes, quos in coronam adductos,

qua fronte audebit ille obtueri?

Memini alibi legisse Nomenclatorem & Fartorem eadem significatione accipi: id si vnquam verum, in hoc maximè apparere crediderim; quando ab isto polymitario inferti sunt, & in lymbos malè assutos inserti ex omni gente & genere hominum, ex omni populo, & lingua Græca, Latina, Barbara; Christiana, Catholica, hæretica, Gallica, Hibernica, Anglica, Cambrica; prisca, moderna, nota, incognita; vt vere videatur sagena missa in mare magnum & spatiosum, ex omni genere piscium comprehendens: sed reductâ ad littus in corbes seponendæ singulæ species; vt piscator ictus sapere incipiat, ni seriò cum Phrygibus velit desipere. *Apud Festum vide etiam Pancyrolū in Notitiā. I.*

Non alium hoc loco Apologeticum Hiberniæ sanctorum quæram, quam qui veteri apologo habetur de apibus & fucis, vespa iudice.

Apes in alta quercu fecerant fauos;
Hos fuci inertes esse dicebant suos, *Ex Phædro.*
Lis ad forum deducta est, vespa iudice,
Quæ genus vtrũque nosset cũ pulcherrimè,
Legem duabus hanc proposuit partibus.
Non inconueniens corpus, & par est color,
In dubium plane res, vt meritò venerit:
Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alueos accipite, & ceris opus infundite,
Vt ex sapore mellis, & forma suaui,

De quîs nunc agitur, auctor horũ appareat;
Fuci recusant: apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit sententiam,
Apertũ est, quis non possit, aut quis fecerit,
Quapropter apibus fructum restituo suum:

Ita in hac lite non lite inter Hibernos, Anglos, Cambro-Britannos & Scotos modernos Albienses, quicunque se velit arbitrum dare vel sequestrum honorarium paribus momẽtis in parem inclinabit sententiam causâ per omnia consimili. De prisca claritudine harũ gentium in sanctitate vitæ & cultu religionis quæstio agitatur; de zelo tuendi propagandique doctrinam orthodoxam causa vertitur. In hoc stat cardo totius quæstionis, vtrum Dempsterus, cum suis commanipularibus inter fucos quam inter apes censeri magis mereatur. Quis enim dubitauerit fucum esse aut furem alieni mellificij, si nec cerá vult ducere, nec cellas elaborare, nec fauos scit fingere, sed fabulas. Si perfricta fronte, iure nullo, malo more, fide non bona aduncat nostros sanctos in suam Caledoniam, & fictitio titulo Pictis suis adscribit Albiẽsibus, Hiberniæ, Cornubiæ, Cambriæ, Angliæ ciues & incolas. Vtrum plagiarius non sit & sanctorum furunculus, lance & licio perquirendus; qui vncos non abstinet, non cohibet vngues a scrinijs & sacrarijs quæ ad se non pertinent, expilandis? qui succum

quem non intriuerat, ſaporem quem non expreſſerat, flores quos non ſeruerat, ore ablingit, faucibus abſorbet, falcibus amputat è proprio ſtipite?

Siſtant ſe fuci iudicio veſpæ: apes non ſe ſubtrahent: ſubibunt æquum examen: ſe condent in aluearibus, inſudabunt operi, elaborabunt fauos, omnem arbitrij fauorem repudiant, niſi color, odor, ſapor, melliflui ſucci genituram probet, & veras proferat genitrices, cadant iudicio apiculæ, fuci dominentur & cauſam obtineant.

Ecce quam multos parauit Albienſibus alueos Italia, Gallia, Belgica: quam dolenter dico, ſed verum tamen, quando ita cogimur fatendum eſt, iſta aluearia deſerentibus fucis, examine fugiente, aranearum telis oppleta, nullo vel certè perexiguo ſtipata mellificio. Hoc deplorant illi qui aluearibus præſunt: quando qui ſubeſſe vellent omnino deſunt: non deſunt horti floribus obſiti, non abeſt aura & ſollicitudo regendi, non deſunt vernantes areolæ, arbuſta viridantia, quies & copia colligendi ſuccum: non deſunt Hyblæa thyma, ſed ſolus deeſt θύμος, ſola voluntas & lubentia mellificandi. Hinc illa per totam fere Scotiam modernam amaritudo mentium; caligo in rebus fidei, hebetudo intellectus & pigritia in rebus diuinis: aritudo ſenſus & ſtupor in negotio ſalutis: contra verò

ſumma acrimonia, contentio, vigilantia, perſpicacitas in officiis huius ſæculi, & in cura maxima perituri corporis, incuria sũma æternæ ſecuritatis. Vt niſi ex Hibernia noſtra, & vicina Anglia excurrerent illuc operarij, bone Deus, quanta ſterilitas & ſolitudo; quanta egeſtas, & inedia ſacrorum peruaderet vniuerſam terram hanc, olim Caledoniã & Pictlandiam Albinenſem, ſic a priſcis nuncupatam & mediç ętatis ſcriptoribus?

Atque vtinam vel iſto improperio ſtimulentur fuci ad ſegnitiem fugandam: vt ſuæ ac ſuorum ſaluti numeroſius allaborent: ſcio non deeſſe, quamuis rariſſimos ex ipſa gente, qui ſolertiſſimi ſunt, & ſitientiſſimi ſalutis popularium ſuorum, qui mellificium à ſe factum infundere vellent arefactis mentibus ſuorum *S*cotigenarum: qui & coram oculis, & ſuccum palato cõdire vellent quam lubentiſſimè; qui & errores eorum detergere, & rigorem cuperent emollire: ſed multo plures vſui eſſent, tam præclaro opęri: multi operarij ad tam largam meſſem neceſſarij videntur, multi vinitores ad tam vberem vindemiam: multæ apes quæ tot fucis præualeant.

Ignoſcat mihi Dempſterus, ſi inter apiculas lectiſſimi examinis eum numerare nolim, quouſque mereatur proſperiorem à

ſuis

ſuis popularibus opinionem (quibus nullos experitur rigidiores morum ſuorum Cenſores ,) quouſque deterat æruginem in iuuẽtute ſolutiore contractam, quæ etiã cum ętate magis adulta noñ minus inualuit , ex eorum qui eum diutiſſimè norant, iudicio, non autem ex præiudicio meo, qui nullam cum homine neceſſitudinem habui: quouſque pœniteat iniuſtitiæ factæ genti Anglicanæ & Hibernicæ, & palinodiam canat præpoſteræ Nomenclaturæ; & centonem ſuum polymytum retexendo diſſuat, ſuos ſibi ſeruet, alienos reſtituat in domũ ſuam. Melius eſt recurrere , quam currere male. Videtis quã ille male cucurrerit, qui nõ contẽtus inuadere non ſuos: etiam cælites qua potuit arte, vel induſtria depreſſit , dũ ſupernates infernatibus exæquat ; parem recordationis cenſum impendens hæreticis atque Catholicis : Ethnicis atque Chriſtianis; viliſsimis homuncionibus atque illuſtribus viris : cum inęqualium ſocietas maiorum contemptus ſit. Et totam hanc technam conſtruxit , vt numerum ſuorum augeret , velut ad armiluſtrium.

Caueat, ne in eum incurrat quiſpiã cum amentatis à Seneca vel aliunde iaculis. Vnumquemque ex his qui ad augendam turbam exeunt, inanes & leues cauſę per " vrbem (& orbem) circumducunt, nihil- "

Lib. de Tranquillitate.

„ que habentem in quo laboret, lux orta
„ expellit, & cum multorum frustra limini-
„ bus illisus NOMENCLATOR per-
„ salutauit, à multis exclusus, neminem ex
„ omnibus difficilius domi quam se conue-
„ nit. Ex hoc malo dependet deterrimum
„ illud vitium, auscultatio & publicorum se-
„ cretorumque inquisitio, & multarũ rerum
„ scientia, quæ nec tuto narrantur, nec tuto
„ audiuntur.

Caueat ne vaga mente refugam vel inuitum contingat domum reduci, & propter improbam nomenclationis auxesim cogatur exegesim audire istius sententiæ, cum debita partium singularum explicatione & applicatione.

Caueat ne lege Fabia de plagio teneatur, vt coram præfecto vrbis vel Præside Prouinciæ, quam meretur ex censu animaduersionem accipiat: si honestior est adempta dimidia parte bonorum Impp. relegetur; sin humilior in metallum damnetur; non, quod ille forsitan optaret, metallo auri vel argenti donandus, sed cum metallicis cruciarijs, in eruendis expurgãdisque metalloris venis labore & lassitudine coquendus.

Ex. 21. *Deu. 24* Caueat atrociorem ex lege Mosaica pœnam. Qui furatus fuerit hominem (vel plagiauerit) & vendiderit eum, conuictus noxæ; morte moriatur. Si non quemlibet

hominem,ſed ſanctum,nō vnumſed multos; non Romana ciuitate ſed cælo donatos,non Imperatoris libro,ſed membranis inſcriptos cæleſtibus vi facta, vult ex albo eradere, & per iniuriam expungere è ſuo cenſu natalitio, atque eliminare è terreſtri municipatu, quem olim veſtgiis incoluerant, & vita, virtute, doctrina excoluerant: magna vtique iniuria,quouis impendio reſarcienda.

Hæc in tranſcurſu à me dicta ſunto,data hac occaſiuncula tutandi B. Brigidam ne eius integritas & natale domicilium ab Allophylo quopiam, vel proſelyto occupetur. Si pergat Nomenclator quas pollicetur hiſtorias, polliceor illi non defuturos qui opiparè illum excipient, & in ientaculi eius vicem, non ieiunam & elemētarem ſed planè pollucibilem paraturi ſint cęnam, qua ſaturetur ad ingluuiem. Temperet ergo ſibi melius nec vt in alijs, ita in ſanctis delibandis deglubendiſque calamo luxuriet. Et vbi ſcriptorum catalogū recudere volet,ſi tamen dignus niſi vt excudātur quos indignè incuderat,meminerit apud Cęſarem, Plinium, Lactantium, Euſebium,& alios Druidas non ſcripſiſſe, ſed voce tranſmiſiſſe ad poſteros ſuā doctrinam, vel ſi ita velit ſuos fines ampliare, & philacteria diſtendere, cum tot incertis & anonymis quos numerat, Agra-

phos etiam & Agraphæas constituat; sed humanioris litteraturæ professori prima-rio maiorem ego curam suaderem Orthographiæ: sicuti prælectori iuris, vt ab iniuria se contineret.

ERRATA.

Pag.10.l.20. cotam leg.caram. P.11. l.25.aureas leg.aurea. P.14 l.13.auidam leg.cuidam. P. 23.l. 27.instructura leg.structuræ. P. 29.l. 13 signabantur leg. signabatur. P. 37.l.3 illis leg. illi. P.38.l.9.portam leg.porta. P.39. l. 13. dato leg. Dado. P.41.l. vlt. comitatus leg comitatum. P.53.ab alijs alijs, leg. ab alijs alij.P.58.in margine S. Iuonis & S. Iodoci.P.68.l.4. Acromatis leg. Acroamatis. ibid in margine Herodē, leg. Houeden.P.80.Arachelis,leg. Azrachelis.P.95. trimestri, leg. semestri. P.99 l.6. iuierint, leg. iuerint.P.117.l.19. illic, leg.illis. P.124.l.12.auiculæ, leg., auiculæ. P.134. l. 1. vestigrium, leg. vestigium. p.153.l.12. corum,leg.eorum. p. 154. l 12. secunda, leg.secund .